TRADUCIANISMUS
AN
CREATIANISMUS?

DISSERTATIO THEOLOGICA

QUA

AD AUDIENDAM ORATIONEM

QUAM

PRO MUNERE SUO RITE CAPESSENDO

DIE IX. DECEMBRIS MDCCCLVI. HORA XI.

IN LYCEO REGIO HOSIANO

HABEBIT

EA QUA DECET OBSERVANTIA

INVITAT

ANDREAS MENZEL,

SS. THEOL. LIC. ET PROF. PUBL. ORD. DES.

BRUNSBERGAE, 1856

TYPIS HEYNEANIS.

INTRODUCTIO.

§. 1.

Haec de origine animarum humanarum quaestio ab hominum indoctorum vel non philosophantium consideratione admodum remota est. Hi enim, differentiae, quae inter animam et corpus intercedit, non habito respectu, contenti plerumque sunt, sensibus usuque quotidiano animadvertisse, singulos homines simili ratione, atque animantia cetera, nasci e parentibus. Qui vero hominis et animalium dissimilem conditionem ipsamque humanam naturam, conflatam ex anima et corpore, quorum illa huic toto suo genere totaque indole et dignitate longe praecellit, diligentius perpenderit, is facere non poterit, quin aliquando ad quaestionem, quam sumpsimus tractandam, animum advertat. Ipsa nimirum naturalis animae et corporis diversitas eum, qui rem intentiore mente contempletur, facile adducet, ut diversam etiam statuat, vel saltem suspicetur, utriusque originem.

Quare jam veteres philosophi, quum Graeci et Romani, tum qui apud Orientis nationes floruerunt, prope omnes animorum humanorum ortum a corporum procreatione, quae fit more brutorum per parentes, sejunxerunt et ad ipsum

supremum Deum retulerunt[1]). Quum autem vel hanc rerum universitatem a Deo ex aliqua aeterna materia, rudi illa et indigesta mole poetae, effictam, non ex nihilo creatam, existimarent, vel mundi essentiam cum ipsius summi Numinis essentia plane confunderent: placitorum suorum consequentia compulsi sunt, ut praecipue animos humanos naturae atque essentiae divinae participes facerent, eosque statuerent ex hac ipsa nasci[2]), sive singuli primum inde emanarent, quo tempore singula gignerentur humana corpora, sive, jam nati principio (atque haec sententia praeexistentianismus vocatur), in singula nova corpora, cursu temporis procreata, mitterentur, aliquando, corporibus emortuis, vel redituri, vitae labores fortiter perferendo emendati, ad Deum, vel rursus per alia corpora nova migraturi (quae opinio a scholis nuncupatur metempsychosis).

Christianorum dein doctores vel patres ecclesiae, ut dicuntur, quorum haud pauci philosophorum doctrinis jam imbuti nova sacra amplexi erant, quaestioni de animarum propagatione disceptandae uberiorem etiam operam ac diligentiam ut navarent, iis ipsis adducebantur, quae de illarum natura, conditione fineque supremo divinitus patefacta sunt.

---

[1]) Sicuti etiam apud Ciceronem, qui multorum libros perlegit sententiasque congessit, scriptum invenimus, Tusculan. dispp. I, 27: „Animorum nulla in terris origo inveniri potest. Nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod in terra natum atque fictum esse videatur: nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriae, mentis, cogitationis habeat, quod et praeterita teneat et futura provideat, et complecti possit praesentia: quae sola divina sunt: nec invenietur unquam, unde ad hominem venire possint, nisi a Deo."

[2] Idem Cicero scribit, de legg. I, 8: „Animus est ingeneratus a Deo: ex quo vere vel agnatio nobis cum caelestibus, vel genus, vel stirps appellari potest."

Itaque jam Origenes ille Adamantinus, qui circiter medium tertium saeculum post Christum natum decessit, sententias, quae de animarum humanarum propagatione omnino excogitari possunt, fere omnes enumeravit [3]), quod idem postea s. Hieronymus [4]) eo tempore fecit, quo, excitata a Pelagio acerrima de peccato primi hominis in posteros propagato controversia, quaestionis nostrae gravissimum momentum evidentissime se manifestabat, quocirca idem doctissimus Pater eam appellat „maxime ecclesiasticam quaestionem.“

§. 2.

At philosophorum de modo animarum propagandarum trita placita quoniam cum doctrina Christiana, qua tenetur, Deum optimum maximum natura sua a rerum universitate prorsus esse secernendum, eundemque summa sua potentia

---

[3]) In cant. canticor. lib. II: „Utrum (anima) facta, an omnino a nullo facta; et si facta sit, quomodo sit facta: utrum, ut putant aliqui, in semine corporali etiam ipsius substantia continetur, et origo ejus pariter cum origine corporis traducitur: an perfecta extrinsecus veniens, parato jam et formato inter viscera muliebria corpore induitur. Et si ita sit, utrum nuper creata veniat, et tunc primum facta, cum corpus videtur esse formatum, ut caussa facturae ejus animandi corporis necessitas exstitisse credatur: an prius et olim facta ob aliquam caussam ad corpus sumendum venire existimetur: et si ex caussa aliqua in hoc deduci creditur, quae illa sit caussa ut agnosci possit, scientiae opus est.“

[4]) Ep. 82 (ed. Antwerp. 1578 sqq.) ad Marcellin. et Anapsych.: „Super animae statu memini vestrae quaestiunculae, immo maxime ecclesiasticae quaestionis: utrum lapsa de coelo sit, ut Pythagoras philosophus omnesque Platonici et Origenes putant: an a propria Dei substantia, ut Stoici, Manichaeus et Hispana Priscilliani haeresis suspicantur: an in thesauro habeantur Dei, olim conditae, ut quidam ecclesiastici stulta persuasione confidunt; an quotidie a Deo fiant et mittantur in corpora secundum illud, quod in Evangelio scriptum est (Joan. 5, 17) Pater meus usque modo operatur, et ego operor; an certe ex traduce, ut Tertullianus, Apollinaris et maxima pars Occidentalium autumant: ut quomodo corpus e corpore, sic anima nascatur ex anima, et simili cum brutis animantibus conditione subsistat.“

totum mundum una cum ipsis hominibus olim ex nihilo protulisse, nulla ratione queunt conciliari: doctores quidem ecclesiastici facere non potuerunt, quin illa rejicerent[5]): soli videlicet ψευδωνύμου γνώσεως, ut dicebatur, cultores, tum Manichaei, et his similia dogmata sectantes inveteratos istorum errores de rerum universarum, praecipue vero animarum humanarum, origine retinebant[6]). Quodsi tamen etiam Origenes illam Pythagoreorum et Platonicorum de animorum praeexistentia opinionem comprobavit, hoc ita solummodo potuit facere, ut illorum praeexistentianismum absolutum — liceat enim trita scholarum oratione uti, quia brevior est — converteret in praeexistentianismum quendam relativum, qui unicae summi Numinis naturae ac majestati nihil obtrectaret. Docebat igitur, in principio quidem Deum nihil nisi innumerabiles naturas incorporeas, easque praeditas intelligentia et libero arbitrio, sua potentissima voluntate creavisse: quarum quum magna pars nefandum quid commisisset ac gravi culpa se contaminasset, tunc demum Deum mundum rerum visibilium variasque corporum formas e nihilo protulisse, quibus tanquam carceribus illas naturas peccatrices, jam

---

5) S. Augustin. retractt. I, 1: „Deus ipse est, qui animum non quidem de se ipso genuit, sed de nulla re alia condidit, sicut condidit corpus e terra.“ Theodoret. fabb. haeret. IV, 9: Ἐκεῖνο δὲ τὸ ἐμφύσημα (Gen. 2, 7) οὐ μέρος τι τῆς θείας οὐσίας φαμὲν κατὰ τὴν Κέρδωνος καὶ Μαρκίωνος λύτταν. Etiam Origenes, de princip. I, 7: „Omnes animae atque omnes rationabiles naturae factae sunt vel creatae, sive sanctae sint, sive nequam.“ Idem in Joann. tom. XIII, n. 25: Σφόδρα ἐστὶν ἀσεβὲς ὁμοουσίους τῇ ἀγεννήτῳ φύσει καὶ παμμακαρίᾳ εἶναι λέγειν τοὺς προσκυνοῦντας ἐν πνεύματι τῷ Θεῷ. Denique illius praeceptor Clemens Alex. strom. II, p. 392 (ed. Colon. 1688): Ὁ Θεὸς οὐδεμίαν ἔχει πρὸς ἡμᾶς φυσικὴν σχέσιν · · · · εἰ μή τις μέρος αὐτοῦ καὶ ὁμοουσίους ἡμᾶς τῷ Θεῷ τολμήσει λέγειν.

6) Cf. W. Münscher, Lehrbuch der Dogmengesch. 3. Aufl. von D. v. Coelln. I, p. 326.

effectas, pro culpae commissae diversitate, vel daemones vel animas humanas, includeret castigandas purgandasque[7]).

Sed haec quoque opinio, quum nimis saperet philosophorum vel Gnosticorum impia placita, omnique litterarum sacrarum careret auctoritate, contra, illarum narrationem de peccato ab Adamo primo homine patrato obscuraret, merito in communem offensionem incurrit statimque acerrime impugnata est[8]). Ne Pamphilus quidem Martyr, qui Origenis patrocinium suscepit, ausus est ejusmodi opinionis veritatem defendere, sed satis habuit, ut ista cum aliis de eadem re receptis sententiis toleraretur, postulasse et ab Origene odium haeretici nominis avertisse, „pro eo, quod neque in divinis scripturis certi aliquid de his vel manifeste dictum esse videretur, neque in praedicatione ecclesiastica contineri[9])". Et hic de origine animarum error inter fideles quidem Christianae ecclesiae cultores prorsus evanuit, postquam cum ceteris erroribus Origeni adscriptis in concilio oecumenico, anno 553 Constantinopoli habito, damnatus est[10]).

§. 3.

Quo facto duae adhuc de modo propagandarum animarum sententiae supersunt, quas per ecclesiae magisterium licet amplecti, quarum una, ad scholarum principem Aristotelem[11]) relata, statuit, singulas animas humanas eo temporis

---

7) Praecipue de princ. I, 5—7; II, 8—9. Cf. Staudenmaier, die christl. Dogmatik III, p. 419 sq.

8) Partim jam a Clemente Alexandrino, tum a Petro Alex., a Gregoriis Naz. et Nyss., a Cyrillo Alex., Theodoreto, Tertulliano, Lactantio, Hieronymo, Augustino, quorum effata affert Staudenmaier l. c. p. 429—31.

9) Apolog. pro Orig. e vers. Ruffini, cap. 9 (de anima).

10) Concilior. collect. ed. Harduin. III, p. 283 sqq. Cf. Alzog, Universalgesch. d. christl. Kirche. 5. Aufl. p. 270.

11) De generat. animal. II, 3: *Λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν*

momento a Deo ex nihilo primum creari simulque in singula humana corpora immitti, quo haec generentur a parentibus — in quo theologorum creatianismus consistit —, altera autem, quam imprimis Tertullianus[12]) tuetur, quodam modo ad confusam incertamque indoctorum opinionem reversa, id tenet, hominem ex hominibus eadem conditione originem ducere, qua gignantur ex animalibus animalia, itaque singulorum hominum animas una atque simul cum corporibus e solis parentibus provenire — qui est scholarum traducianismus.

Ex his tamen sententiis ea, quae creatianismus nuncupatur, quum jam primis sacrorum Christianorum saeculis et numero et auctoritate patronorum traducianismum longe vicit eique eo tantum tempore, quo de peccato originali contendebatur, aliquamdiu visa est cedere, tum postero tempore unanimam paene doctorum ecclesiasticorum assensionem nacta est solaque per totum medium aevum, quod vocatur, et ulterius in theologorum scholis regnabat. Dein Lutherus, pro ingenio suo a subtiliore rerum contemplatione alieno magnopereque scholasticorum totam rationem abhorrente, praeterea commotus, ut in ceteris, sic etiam in nostra quaestione, s. Augustini non satis perspecti auctoritate, antiquatam jam de animarum generatione opinionem quodammodo resuscitavit. Atque illum pristinorum theologorum sectae Lutheranae addictorum maxima pars secuta est, dum Calvinus ejusque sectatores veterem retinent creatianismum[13]).

ἐπεισιέναι καὶ θεῖον εἶναι μόνον. Cf. s. Thomae Summa theol. P. I, qu. 118, art. 2.

12) De anima cap. 19 et 27.

13) Vide Hagenbach, Lehrb. d. Dogmengesch. 2. Aufl. II, p. 2 8 nec non 295—6. Ceterum quid recentiores Protestantium theologi de animarum in genere humano multiplicandarum atione sentiant, nunc

Inter Catholicos vero theologos imprimis Henricus Klee [14]) traducianismi, quem quidem recentiores malunt nominare generatianismum, patrocinium denuo suscepit, atque ita controversiam, non quidem ecclesiae auctoritate falli nescia, attamen virorum doctorum sententiis ratiociniisque compositam, ut diu videbatur, renovavit, in quo ei adstipulati sunt Mayrhofer [15]), Oischinger [16]), Kolschmid [17]), prae ceteris vero J. Frohschammer [18]); hic enim doctus vir eo libro, quem de origine animarum scripsit, non solum multis et variis argumentis, quum e philosophia tum e physiologia allatis, pro generatianismo suo victoriam consequi, sed etiam antiquitatis Christianae auctoritatem magna ex parte a crea-

---

quidem non quaerimus: est enim solummodo nobis propositum, eam controversiam, quae de hac re inter Catholicae scientiae cultores movetur, e sensu ejusdem scientiae dijudicare. Accedit, quod haec nostra quaestio apud eos, qui summi Numinis naturam atque essentiam magis minusve cum rerum natura atque essentia confundunt, omni graviore momento careat necesse est. Videlicet etiam illi ipsi viri et docti et boni, quibus in animo est, omnibus gratum facere omnemque sententiarum discrepantiam, posita quadam media veritate, componere atque conciliare, quum de animarum origine tractandum est, ad verba dubia claroque sensu carentia et involuta quadam quasi caligine confugiunt, sicut inter recentissimos J. P. Lange, christl. Dogmatik II, p. 301, et Martensen, die christl. Dogmatik. Aus dem Dänischen. 2. Aufl. p. 164 sqq. Quorum ancipitem mentem bene exprimit Wegscheider, institutt. theolog. ed. 8, p. 369: „Plurimis probata est sententia de animis non creatis neque generatis, sed propagatis, ita ut ad Traducianismum quidem accederent, modum tamen definire non conarentur".

14) Katholische Dogmatik II, p. 304 sqq.

15) Das dreieine Leben in Gott und jedem Geschöpfe. II, p. 208 sqq.

16) System der christl. Philosophie. 2. Aufl. p. 214.

17) Drei kleine Abhandlungen. Landshut 1855. Haec generatianismi defensio censetur „eine Mosaik von Irrthümern und Sonderbarkeiten" in Wiener kathol. Literatur-Zeitung 1855. Nr. 49.

18) Ueber den Ursprung der menschlichen Seelen. Rechtfertigung des Generatianismus. München 1854, nec non in Wetzer und Welte, Kirchen-Lexicon, Ergänzungsband, art. Generatianismus.

tianismi praesidio detorquere et in propriae sententiae firmamentum convertere studet.

§. 4.

Rebus ita comparatis consentaneum esse duximus, nostram quoque industriam, quaecunque est, ad absolvendam tandem quaestionem conferre, quae cum aliis quibusdam gravissimis quaestionibus, nostro tempore de natura hominis vehementer agitatis [19]) arctissime conjuncta sit. Neque tamen in animo est, libros nuper ad generatianismum vindicandum conscriptos, vel totam argumentorum in eis propositorum seriem deinceps confutare, hoc enim jam ab aliis scriptoribus satis evidenter videtur factum esse[20]); neque magis via mere philosophica argumentisque et conclusionibus a sola ratione repetitis, vel adeo physicis disquisitionibus de generationis actu subtiliter institutis rem tractaturi sumus, nam via quidem mere philosophica et nimis longa esset et parum certitudinis haberet, physiologia vero rem, de qua potissimum quaeritur, ne attingeret quidem, siquidem anima humana ad physim, sensu strictiore intellectam, minime pertinet: sed id solummodo agimus, ut controversiae de creatianismo et traducianismo vel generatianismo obviae statum et conditio nem, qualis revera est, sincere proponamus et ad sanae theologiae Catholicae regulam judicemus.

---

19) Satis erit, acerbissimae contentionis mentionem fecisse, quae praecipue inter Rudolphum Wagner et Carolum Vogt, viros in rebus physicis eruditissimos, de hominum creatione et de animarum substantia exarsit, eamque commemorasse controversiam, quam F. J. Clemens de Antonii Günther systemate philosophico, quod in quodam dualismo anthropologico maxime vertitur, in ipsis scholis Catholicis excitavit.

20) De Kleeio vide Pabst, Adam und Christus p. 225 sqq. et Staudenmaier, christl. Dogmatik III, p. 445 sqq.; de Frohschammero autem katholische Blätter für Literatur zur Sion, 1854, Nr. 45 sqq. nec non Tübinger theolog. Quartalschrift, 1855, 4. Heft (p. 611—46).

Itaque, quoniam in eo consentiunt omnes, in conciliorum oecumenicorum decretis nihil inveniri, quo quaestio de animarum origine plane decidatur, jam erit investigandum, quid ad hanc controversiam dijudicandam vel scriptura sacra ac traditio ecclesiastica expresse doceant, vel ratiocinatio theologica ex aliis doctrinis, certo in revelatione divina contentis, concludere possit. Praeterea, ut jam ab initio natura ejus rei, de qua disceptandum erit, probe perspiciatur atque ita multarum dubitationum et objectionum causa amoveatur, placet ante omnia traducianismi et creatianismi notiones accuratius definire.

Caput I.

Traducianismi et creatianismi accuratior descriptio.

§. 5.

Traducianismum igitur, ut ab hoc potissimum initium faciamus, jam supra generaliter et universe descripsimus, ut statuat, singulas animas humanas una cum singulis corporibus e solis parentibus originem habere. Quoniam autem animarum originis e parentibus trahendae diversi modi cogitari queunt, diversa quoque traducianismi genera temporis decursu emerserunt suosque patronos nacta sunt, quorum tria potissimum a viris doctis recenseri solent.

Ac prima traducianismi species, rudis illa quidem et quodammodo agrestis, animae et corporis, quin prope hominis et brutorum, neglecta diversitate, ipsi corporeo semini hominis vim facultatemque adscribit, et animas et corpora

liberorum in gremio feminae parimodo producendi. Certe hoc genus Origenes spectare videtur, ubi varias veterum opiniones de animarum origine enumerat[1]).

Alterum vero traducianismi genus ii sequuntur, qui censent, liberorum singulas animas jam in animis parentum, quin omnes universi generis humani animas jam in una primi hominis Adami anima tanquam semina quaedam individua fuisse inclusas, unde in ipsa cujusque corporis humani generatione redundantes per certam portionem in novam prolem transfundantur. Quare ista opinio, quam vulgo a Tertulliano[2]) auctore repetunt, appellatur transfusianismus, quamquam a viris doctis etiam traducianismus sensu angustiore nuncupari solet.

Tertia denique traducianorum opinio, illa quidem, primo saltem adspectu, non tam rudis nec tam incondita, quam duo priora genera, id obtinet, animas ex animis plane eodem modo nasci, quo corpora ex corporibus, totumque hominem, et secundum animam et secundum corpus, a solis parentibus, quorum animae et corpora in unam procreationis actionem concurrant, proprie generari, quam ob rem praecipue hoc genus merito generatianismus vocatur. Atque etiam hujus generatianismi patronum praecipuum eundem Tertullianum laudant, licet is quidem de eodem parum docte parumque subtiliter scripserit[3]). Atqui hoc tertium traducia-

[1]) Lib. II in cant. canticor., qui locus jam supra allatus est p. 3. Etiam de princip. praef. n. 5: „De anima vero, utrum ex seminis traduce ducatur, ita ut ratio ipsius vel substantia inserta ipsis seminibus corporalibus habeatur — — non satis manifesta praedicatione distinguitur.“

[2]) De anima cap. 19: „Cujus (hominis) anima velut surculus quidam ex matrice Adam in propaginem deducta et genitalibus feminae foveis commendata cum omni sua paratura pullulavit (ed. Oehler) tam intellectu quam et sensu.“ Cf. ibid. cap. 22.

[3]) De anima c. 27: „In hoc itaque sollemni sexuum officio, quod

nismi genus solum, seu generatianismum proprie dictum, residuis Tertulliani vitiis expurgatum, nonnulli etiam tempore postero retinuerunt nostraque aetate rursus defendunt, quare etiam solummodo hoc genus tertium, duobus prioribus, quum jam nullius momenti sint, missis, nobis respiciendum erit, quod idem tum quoque intelligemus, quum, amore quodam nominum jam antiquitus usurpatorum ducti, de traducianismo universe loquemur[4]).

---

marem ac feminam miscet, in concubitu dico communi, scimus et animam et carnem simul fungi, animam concupiscentia, carnem opera, animam instinctu, carnem actu. Unico igitur impetu utriusque toto homine concusso, despumatur semen totius hominis, habens ex corporali substantia humorem ex animali calorem .... Denique, ut adhuc verecundia magis pericliter, quam probatione, in illo ipso voluptatis ultimae aestu, quo genitale virus expellitur, nonne aliquid de anima quoque sentimus exire?“ Sed vide totum illud caput.

[4]) Frohschammer quidem, doctus ille generatianismi propugnator, quo facilius ea, quae plerumque contra dicuntur, amoveret, etiam aliud traducianismi genus, plane novum, in medium protulit: sed tamen proposito meo me arbitror satisfacturum, si istius sententiae fundamentum veramque conditionem paulo diligentius in hac nota persequar.

Frohschammer igitur toto libro, quem de animarum humanarum origine conscripsit, generatianismi patronum se exhibet: disertis enim verbis generatianismi potius nominationem, spreto nomine traducianismi ut parum accurato, propriae de origine animarum sententiae vindicat, Tertullianum praeterea ceterosque, qui istam opinionem secuti sunt, pro suis legitimis in hac re antecessoribus habet, illorumque causam plane pariter atque suam ipsius agit. Atqui idem vir doctus in eodem libro ut suam sententiam hoc quoque proponit, „dass durch die Zeugung der Eltern der Mensch nach Leib und Seele entstehe vermöge einer der Menschennatur immanenten von Gott uranfänglich ihr verliehenen secundären Schöpfungskraft“ (p. 59), atque hanc creandi facultatem, quam manifesto ideo tantum secundariam appellat, quia non propria sed a Deo data est, expresse ita describit, ut sit facultas creandi ex nihilo et formas et essentias (ibid. p. 81), hoc est, facultas creandi sensu strictissimo theologorum, quam hi quidem soli supremo Numini attribuunt. Sed ne quis diutius possit dubitare, quin scriptor ille creandi et generandi notiones plane confundat, minimeque earum differentiam, quae sane

§. 6.

Sed jam veniamus ad creatianismi notionem accuratius definiendam. Quam supra in universum ita descripsimus,

---

est generalis et absoluta, suspicetur, ipse in commentatione quadam de generatianismo scripta, quam in egregio illo opere Wetzer und Welte's Kirchenlexikon (Ergänzungsband, Art. Generat. praecipue pag. 461) invenies, diserte contendit, prorsus eodem sensu animas humanas ab hominibus creari, quo mundus a Deo creatus sit. Quid? quod idem ceteris quoque animantibus atque adeo ipsis plantis secundariam illam creandi facultatem adscribit, quum, secundum ipsum, et cujusvis animantis anima et singularum plantarum propria vis vitalis sit aliquid omnino novum e nihilo prolatum? (cf. „üb. d. Ursprung" etc. p. 68.) Quid? quod etiam opinatur, posse cogitari, animam humanam sensim gradatimque e nihilo in perfectam substantiam formari, „so dass also hiebei eine lebensvolle menschliche Wirksamkeit (Gesetz) in lebendige Wirklichkeit (Seele) überginge, und diese in die an sich lebendige Substanz (Geist)" (ibid. p. 213), et hac ratione illam in secundo originis suae gradu peculiari essentia adhuc carere similemque esse vitae vel animae cujusvis animalis vel plantae? Nonne jam ex his, quicunque creationis et generationis absolutam diversitatem atque hujus diversitatis in cuncta doctrina Christiana de Deo et mundo proposita gravissimum momentum probe perspexerit, quique praeterea animae humanae propria essentia individua utentis et animae bruti, quae mera forma est et propria essentia caret, bene comprehenderit differentiam — nonne jam inde, inquam, intelligens rei aestimator judicabit, illius viri doctrinam de animarum origine esse valde obscuram, pugnantem secum, talem denique, quae a sana theologia vix debeat tolerari?

Minime quidem in animo est, Frohschammeri fidem Catholicam sinceritatemve, pluribus sane libris contra Christianae veritatis impios aggressores strenue scriptis satis comprobatam, in dubiam vocare; sedtamen non possumus non profiteri, videri nobis illum virum doctum inconsulto quaedam placita philosophica extrinsecus adscivisse, quae, tantum abest, ut cum doctrina Christiana, praesertim quae de Deo mundi creatore et de animae humanae natura proponitur, possint conciliari, ut eam doctrinam, si principiorum constantia servetur, necessario sint eversura. Quod ut suspicemur, etiam eo adducimur, quod noster non dubitat, philosophorum quoque et physicorum consensu atque auctoritate generatianismum suum confirmare (ibid. p. 63), quamquam nemo ignorat, eos, qui nostra aetate philosophorum et physicorum nomen sibi potissimum arrogant, non solum creandi et generandi notiones confundere, sed omnia et universa

ut, quo tempore alicujus hominis pars physica a parentibus primum generetur, eodem etiam anima humana summa Dei potentia e nihilo proferatur simulque cum illa conjungatur

---

prorsus miscere, et rerum externarum, et animarum humanarum, et ipsius Numinis supremi naturas et essentias.

Ac nobis summam rei diligentius perpendentibus certe ea doctrina, quam Frohschammer de modo generationis proponit, a physicorum placitis, in quibus tractandis ille multum versatur (p. 104—124), revera videtur esse profecta. Nam quum R. H. Lotze, physiologus clarissimus, pro sua rerum universarum contemplatione plane sibi constanter ac satis perspicue docet, „dass jene Phase des Naturlaufs, in welcher der Keim eines physischen Organismus gestiftet wird, eine zurückwirkende Bedingung ist, welche den substantiellen Grund der Welt zur Erzeugung einer bestimmten Seele aus sich selbst erregt“ (apud Frohschammerum p. 114—15), vel etiam magis ad vulgarem popularemque sensum accommodate, „der Stoff, aus welchem die neue Seele entsteht, liegt nicht in den Seelen der Eltern, sondern in der unerschöpflichen Substanz des Absoluten, aus ihm entspringt sie, angeregt durch den Lauf der Generation“ (ibid. p. 118): Frohschammero nostro ejusmodi doctrina jam satis emendata et ad sensum regulamque fidei Christianae revocata videtur esse, si pro „Substanz des Absoluten“, sive „substantieller Grund der Welt“ dicatur „substantielle Geistigkeit der Menschheit (p. 115), Gattungswesen der Menschheit, geistige sinnliche Substanz der Menschheit (p. 119), Menschheitsnatur, der göttlich gesetzte geist ge Naturgrund der menschlichen Persönlichkeit, der erhaltende und schaffende göttliche Logos, d. h. das Schöpferwort oder der Gotteshauch, der sich uranfänglich als ausgesprochene göttliche Idee der Menschheit realisirte und nun schöpferisch fortwirkt als Menschheit“ (p. 73, cf. etiam p. 91); quare Frohschammer post peccatum ab Adamo comissum jam inducit „den gefallenen Schöpfungslogos, den die ganze Menschheit vorstellt“, unde etiam sibi videtur intelligere, „warum der ewige, immanente Logos oder Sohn Gottes selber zur Erlösung der Menschheit kommen sollte“ (p. 190).

Jam vero, tali fundamento jacto, mirum non est, quod in Frohschammeri „Gattungswesen, verborgenem Hintergrund, Tiefe der menschlichen Natur“ (p. 72) cuncta divina et humana, ea, quae rerum natura continentur et ea, quae illam excedunt, denique ea, quae ad necessitatem vitae et naturae humanae spectant et ea, quae ex honestate et religione pendent, confluunt atque prorsus commiscentur. „Hier waltet auch die Potenz der Zeugung“, nam placet ipsius verba afferre, quia in-

atque uniatur. Verumtamen haec de animarum origine doctrina ita erit intelligenda et explicanda, ut et rationi humanae conveniat atque ipsius Dei optimi maximi naturae. Quapropter ante omnia ea opinio erit fugienda, quae statuat, quoties aliquod corpus humanum modo naturali generetur, toties Deum quasi novum et peculiare consilium inire aliquam animam humanam creandi novoque corpori addendi, ac deinde ejusmodi consilium seu propositum suprema sua potentia eum conficere. Haec enim ratio singula quaeque singulatim animo proponendi et deinde facto exsequendi pertinet illa quidem ad hominem, quippe qui aliquando natus

---

signissima sunt, „der Fortpflanzung der Menschennatur nach Leib und Geist. Hier ist auch die Region des Zusammenhanges der Menschennatur mit dem schöpferischen Urgrunde und mit dem allgemeinen Naturleben; hier ist die Region des Gemüthes und der Quell der Liebe, des einigenden Bandes also unter den Menschen" (p. 72). Cum illis jam haec concordant: „Die Liebe ist die Substanz, das göttliche Wesen selbst in dem göttlichen Lebensprocess der Dreipersönlichkeit; ein Gleichniss davon ist allerdings die menschliche Zeugung, in welcher die Liebe auch gewissermassen substantiell wird" (p. 86); et quae paulo inferius sunt: „Wie in der Immanenz des göttlichen Lebens die ewige göttliche, substantielle Liebe der Quell und das Wesen der ewigen göttlichen Seligkeit und Vollkommenheit ist, so ist bei dem Menschengeschlechte das momentane Substantiell-Werden der Liebe in der Zeugung eines neuen Geistes oder Menschen beglückend, beseligend", quamquam etiam conceditur, hanc beatitudinem non nisi auxilio illius sancti et divini amoris absolute perfici (p. 86). Porro scriptor noster sic loquitur: „Die Liebe ist das Höchste, Beglückendste im Menschendasein, weil in ihr und durch sie eben das göttliche Schöpfungswort fortwirkt, in ihr immer wieder aufblüht zu neuer Hervorbringung" (p. 200). Quibus adduntur haec: „In dieser Region ist auch der Einigungspunkt mit Gott und seiner Gnade ..... und auf das Gemüth — mit dem Gemüthe zumeist ist die Substanz des Menschen Eins und identisch, p. 202 — wirkt ja auch zunächst jegliche Erleuchtung und Inspiration, daher hier auch die prophetische Ekstase und Begeisterung entsteht oder ihren Sitz hat" (p. 201).

At haec profecto jam sufficient ad illius indolem perspiciendam atque aestimandam!

sit et aliquando moriturus; minime vero debet referri ad summum Numen nullis prorsus vel temporis vel spatii cancellis inclusum terminatumve. Nimirum Dei creandi consilium et ejusmodi consilii exsecutio una tantum actio est in sese absoluta et perfecta, a temporum cursibus et locorum intervallis prorsus aliena. Ea solummodo, quae per absolutam illam et in aeternitate manentem actionem Creatoris e nihilo producuntur, temporis et spatii terminis atque conditionibus subjiciuntur: haec enim singula certis quibusdam temporibus atque locis originem capiunt, crescunt sensim et decrescunt. Nimirum omnipotenti voluntate divina ex aeterno constitutum quidem est, ut cum ceteris rebus et animantibus totus humanarum animarum numerus e nihilo prodeat, sed eadem supremae voluntatis actione aeterna id quoque continetur, ut singulae animae humanae non una et simul, sed certo quodam temporis ordine certaque constituta ratione, originem capiant, videlicet quotiescunque et ubicunque singula nova corpora humana lege naturali gignantur, qua genus humanum sensim saeculorum decursu per cunctas terrae regiones spargitur atque propagatur [5]).

---

[5]) Idem fere Hugonem a s. Victore de cretianismi natura sensisse, manifestum est, quum scribat, institutt. monast. de anima II, 27: „Dicimus autem rationales animas pro essentia fieri quotidie de nihilo novas, sed pro consimili natura ex institutione divina non utique novas. Quales enim in exordio Deus die sexto masculo et feminae dedit, tales quotidie inspirat singulis, nova de nihilo creatione, non nova institutione.... Animae non simul essentialiter factae sunt, sed pro natura consilii, quo ad imaginem et similitudinem Dei fiunt, et simul factae reputantur, et non simul editae judicantur.“ Sed jam Theodoretus etiam subtilius hoc modo disputat, Graecar. affect. curat. disput. V: *Διαμορφοῦσθαι πρότερον ἐν τῇ νηδύϊ λέγει* (scil. Moses Exod. 21, 22 sqq.) *τὸ βρέφος· εἶθ᾽ οὕτω ψυχοῦσθαι· οὐ θύραθέν ποθεν τῆς ψυχῆς εἰςκρινομένης, οὐδέ γε ἐκ τῆς γονῆς φυομένης, ἀλλά γε τῷ θείῳ ὅρῳ, κατὰ τὸν ἐξ ἀρχῆς ἐντεθέντα ἐν τῇ φύσει νόμον, δεχομένης τὴν γένεσιν.*

Ex his jam perspicere licet, qua ratione creatio et generatio, actio illa divina et haec humana actio, in uno eodemque homine procreando conspirent. Tantum enim abest, ut earum actionum utraque quodammodo exsistat per se, alteraque ab altera remaneat aliena et sejuncta, sintque ambae solo fine communi atque effectu inter se copulatae, ut ambae omnino sint mutuae atque reciprocae, altera conformetur et referatur ad alteram, alteraque alteram quasi postulet atque excitet[6]). Deus enim optimus maximus, quum aliquam humanam animam creat, eam non creat ut quandam essentiam individuam incorpoream et praeditam ratione, quae etiam per se sit perfecta queatque exsistere separatim, sed ita eam creat, ut ad certum novum corpus humanum spectet, cui tota sua indole totaque natura sit accommodata. Ac pari modo parentum quoque generatio, quamquam propria vi solum corpus producere potest, hoc tamen producit ut corpus humanum, formandum atque ornandum anima humana immortali et rationis compoti a Deo addenda. Itaque aeterno Dei creatoris consilio praefinitum est, ut, quoties aliqua anima humana e nihilo prodeat, toties corpus quoque humanum illi conveniens originem capiat, et vice versa, quoties aliquod corpus humanum generetur, toties anima quoque humana illi accommodata proferatur [7]). Quamvis igitur Deus per

---

[6]) Vide ea, quae hac de re ab Hitzfeldero, librum Frohschammeri dijudicante, subtiliter disputata sunt in Tübinger theolog. Quartalschrift, 1855, 4. Heft.

[7]) Vix est, quod diserte moneamus, communem theologorum scholasticorum sententiam rejiciendam esse, animam humanam tum demum a Deo creari et cuique humano corpori addi, quum hoc jam aliquantum creverit et quodammodo ad illam recipiendam praeparatum fuerit, uti etiam docet s. Thomas Aquinas, contra Gent. lib. II, c. 89: „Anima igitur vegetabilis, quae primo inest, cum embryo vivit vita plantae, corrumpitur, et succedit anima perfectior, quae est nutritiva et sensitiva

potentiam suam directe solam animam creet, parentesque per insitam ipsis facultatem naturalem directe solum corpus humanum gignant: tamen et Deus et parentes totum atque perfectum hominem una intendunt procreare et, quod contendunt, id utrique effectu assequuntur, quare omnis homo secundum totam suam duplicem naturam vere et proprie appellatur parentum suorum progenies et summi Dei opus pari modo.

Jam vero ex eis, quae hucusque de parentum generatione et Dei efficientia absoluta in singulo quoque homine procreando concurrentibus et quasi conspirantibus disputata sunt, porro sequitur, ut genus humanum, quippe quod uno eodemque primo parente Adamo utatur, non solum corporum ratione, sed secundum totam suam duplicem naturam sit omnino concretum atque unum. Licet enim per se sola humanae gentis corpora cohaereant, quum solummodo haec una eademque essentia omnibus communi utantur, tamen ejusdem naturalis corporum cohaerentiae etiam animae humanae, quamvis per se sint essentiae peculiares et individuae, participes redduntur, quum universae et singulae non nisi pro illo generis humani nexu naturali creentur, extra quem igitur nullatenus exsistunt neque cogitari quidem possunt.

At his de notione et natura generatianismi et creatianismi propositis, jam videamus, quid theologiae Christianae Catholicae fontes de utraque sententia doceant.

---

simul: et tunc embryo vivit vita animalis; hac autem corrupta, succedit anima rationalis ab extrinseco immissa, licet praecedentes fuerint virtute seminis."

Caput II.

Scripturae sacrae de traducianismo et creatianismo doctrina.

§. 7.

Vix poterit exspectari, controversiam, de qua agitur, certis manifestisque librorum sacrorum documentis directe atque ex omni parte decisum iri. Est enim quaestio de modo propagationis animarum, sicut etiam hujus commentationis initio monstratum est, a cogitatione atque ab ipsa utilitate vulgi plane aliena pertinetque tota ad philosophorum et theologorum disciplinam: atqui libri sacri omnino ad vulgi rationem et institutionem scripti sunt et accommodati, continentque effata ac praecepta divinitus patefacta, quae tenere, quae sequi debent omnes, qui ad summum bonum cupiant pervenire. Quod quum ita sit, jam satis nos assecutos existimabimus, si nonnulla effata in scriptura sacra invenerimus, quae alteri sententiae controversae magis faveant, afferantque saltem aliquam similitudinem veri et probabilitatem.

§. 8.

Primum igitur ad eos locos examinandos accedamus, qui in traducianismi defensionem e sacris bibliis plerumque repetuntur. Atque hujus sententiae patroni jam in eo multum ponderis in suam partem inesse contendunt, quod litterae sacrae manifesto nullaque animae facta exceptione doceant, homines ab hominibus originem ducere, liberos procreari a parentibus ipsorum, velut est Gen. 1, 28: „Benedixitque illis Deus et ait: Crescite et multiplicamini et replete terram et subjicite eam.“ Gen. 5, 3: „Et genuit (Adam) ad imaginem et similitudinem suam vocavitque nomen ejus Seth.“ Act. 17, 26: „Fecitque (Deus) ex uno (ἐξ ἑνὸς αἵματος)

omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae“. Sed si quis verborum sonu haud captus ejusmodi effatorum vim diligentius consideraverit, is facile intelliget, in illis quidem prorsus nihil posse inveniri, quo traducianismus fulciatur. Nam nihil aliud continent, nisi illud populare et sensuum perceptioni subjectum, hominem nasci ex hominibus; de peculiari vero vel corporis vel animae origine nihil dicunt, quoniam ipsa corporis et animae diversitas non cadit in considerationem. Universe autem, homines ex hominibus nasci, non solum ii, qui traducianismo addicti sunt, merito possunt dicere, sed eodem jure etiam ii, qui creatianismum sequuntur, si quidem vera hujus ratio, supra definita, respicitur.

Atque eadem fere ratione alia quoque intelligenda sunt, quae a traducianismi fautoribus laudari solent, ut Hebr. 7, 9—10: „Per Abraham et Levi, qui decimas accepit, decimatus est: adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech.“ Quae si non possent sociari cum creatianismo, nihilo magis profecto possent copulari cum traducianismo, sed esset recurrendum ad explosum jam transfusianismum, qui certe cum aliqua veritatis specie ad illa provocare potest. Similiter porro Gen. 46, 26: „Cunctae animae, quae ingressae sunt cum Jacob in Aegyptum et egressae sunt de femore illius, absque uxoribus filiorum ejus, sexaginta sex.“ Nam quum nemo sane contendat, animas (ψυχάς, נְפָשׁוֹת) hoc loco commemoratas proprie esse naturas illas intelligentes et immortales, a corporibus humanis diversas, sed potius it manifestum, animas hic, sicut in V. T. libris saepius [1]), significare ipsos homines: hoc quidem loco nihil

[1]) Conf. Gesenii lexicon hebraicum, art. נֶפֶשׁ.

aliud docetur nisi, homines origenem ducere ab hominibus, id quod creatianismi pariter atque traducianismi defensores contendunt.

At generatianismi fautores praecipue provocant ad Gen. 2, 2: „Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat." Cui quidem documento, quod etiam s. Augustino videbatur singularum animarum creationem excludere[2]), primum hoc aliud potest opponi, Joan. 5, 17: „Jesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur et ego operor," quae verba saltem s. Hieronymus ad continuam animarum humanarum creationem refert[3]). Sed interius etiam locus ille intelligetur, si rursus in memoriam vocata fuerint, quae de vera creatianismi definitione dicta sunt. Nimirum animarum creatio, in quantum actio Dei est, jam ab aeterno perfecta est, sed ejus actionis effectus in temporis continuationem cadit paulatimque absolvitur.

§. 9.

Jam vero illos sacrae scripturae locos, qui a creatianismi patronis afferri solent, examinaturi, primum eos omnes ut nihil habentes ad demonstrandum ponderis excludimus, qui hominum originem generaliter et universe ad Deum referunt[4]):

---

[2]) De Genes. ad litt. X, 3: „Novas quippe animas fieri, quae neque ipsae, neque ratio earum tanquam in parente prolis sexto illo die facta sit, cum his operibus, a quibus consummatis et inchoatis Deus in die septimo requievit, si dixerimus, cavendum est, ne frustra tam diligenter Scriptura commendet, sex diebus consummasse Deum omnia opera sua, quae fecit valde bona, si aliquas adhuc naturas fuerat creaturus, quas nec ipsas nec earum ibi rationes causaliter fecerit."

[3]) Ep. 82 ad Marcellin. et Anapsych.

[4]) Velut Job. 31, 15: „Numquid non in utero fecit me, qui et illum operatus est; et formavit me in vulva unus?" Ps. 118, 73: „Manus tuae

nam ex traducianorum quoque sententia recte dicitur Deus universorum hominum creator, quoniam sane totius generis humani ultima causa efficiens est et auctor supremus, etiam si singuli homines et secundum corpus et secundum animam e parentibus nascantur: animus nimirum religioni et pietati erga Deum magnopere deditus res sensibus subjectas rerumque causas proximas negligere et ipsum summum universorum auctorem respicere solet. Similiter erit judicandum, si nonnulli alii loci originem hominis et Deo optimo maximo et parentibus simul adscribunt[5]): namque hoc non ideo fit, ut animae et corporis indicetur diversa origo, sed potius, ut cum proximis hominis auctoribus simul auctor supremus praedicetur. Quin etiam tum eadem ratio potest intercedere, quum expressis verbis dicitur, Deum dare animam et effingere spiritum hominis[6]): nam pari modo dicitur, Deum fabricari corpus hominis et membra ejus[7]): si hoc cum traducianismo potest conciliari, id quod ab omnibus conceditur, illud

---

fecerunt me et plasmaverunt me.“ Jerem. 1, 4—5: „Et factum est verbum Domini ad me dicens: Priusquam te formarem in utero, novi te.“

5) Gen. 4, 1: „Adam vero cognovit uxorem suam Hevam: quae concepit et peperit Cain, dicens: Possedi hominem per Deum.“ Ac similiter Gen. 4, 25: „Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam, et peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.“

6) Job. 12, 9—10: „Quis ignorat, quod omnia haec manus Domini fecerit: in cujus manu anima omnis viventis et spiritus universae carnis hominis.“ Isai. 42, 5: „Haec dicit Dominus Deus ..... dans flatum populo, qui est super terram, et spiritum calcantibus eam.“ Zach. 12, 1: „Dicit Dominus extendens coelum et fundans terram et fingens spiritum hominis in eo.“ Quare etiam dicitur (Num. 16, 22) „fortissimus Deus spirituum universae carnis.“

7) Job. 10, 11: „Pelle et carnibus vestisti me: ossibus et nervis compegisti me.“ Exod. 4, 11: „Dixit Dominus ad eum: Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum et surdum, videntem et caecum? nonne ego?“ Et saepe similiter.

quoque sane potest. Quamquam erit concedendum, hujuscemodi effata sacrorum librorum, quippe quae modo quodam interiore et singulari animarum originem ad Deum referre videantur, profecto creatianismo aliquanto magis favere, quam traducianismo.

Sed animarum creatio aliis sacrae scripturae locis etiam clarius perhiberi videtur. Primum huc spectant ea, quae de primi hominis fictione narrantur. „Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem" (Gen. 2, 7). Quoniam primi hominis anima et corpus diversa ratione condita sunt, admodum videtur esse consentaneum, etiam posterorum animas et corpora eadem conditione nasci, minimeque inde, quod corpora humana communi animantium corporearum lege generantur, continuo videtur posse colligi, animas quoque humanas generari, quae incorporeae sunt similesque angelis Dei in coelo, qui „neque nubent neque nubentur" (Matth. 22, 30). Ea saltem, quae de creatione Evae referuntur, illam sententiam magnopere affirmant: nam si Deus mulierem ex costa de homine sumpta formavit, et Adam potuit dicere: „Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea" (Gen. 2, 23), haec stricte videntur referenda ad solum corpus Evae, in quod rursus Deus animam ab ipso creatam immisit, quemadmodum jam initio hominem de limo terrae formaverat, sed animam inspiraverat [8]).

Deinde illud in favorem creatianismi adducunt, quod

---

[8]) Sic etiam s. Ambrosius, de Paradiso cap. 11: „Considera, quia ex corpore costam sumsit, non ex anima portionem; hoc est, non animam ex anima, sed os de ossibus et carnem de carne." Conf. s. August. de Gen. ad litt. X, 1.

legitur Eccles. 12, 7: „Et (antequam) revertatur pulvis in terram suam unde erat et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.“ Quamquam sane nequit negari, sacri libri scriptorem hoc quidem loco potissimum respicere creationem primi hominis (Gen. 2, 7), quare, ut jam s. Augustinus docuit[9]), inde singularum animarum creatio per Deum manifesto et evidenter non magis potest colligi, quam singulorum corporum formatio e terra: tamen illa certe aliquam vim habent ad creatianismum commendandum, quum spiritus quidem humani principium et finem ad ipsum Deum optimum maximum, corporis solummodo referant ad terram, quamobrem s. Hieronymus non dubitavit, in hunc locum scribere: „Ex quo satis ridendi sunt, qui putant, animas cum corporibus seri et non a Deo, sed corporum parentibus generari.“ Porro in creatianismi favorem aliquantum ponderis ea verba afferunt, quae fratrum Machabaeorum mater dicit: „Nescio, qualiter in utero meo apparuistis: neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam et singulorum membra non ego ipsa compegi, sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam“ (2 Mach. 7, 22—23). Haec enim satis trita et levia essent, parumque ad fiduciam in Deum excitandam facerent, si nihil aliud intenderent, quam miram occultamque generandi actionem commemorare communem animalium omnium: at vero insignissima illa quidem sunt multumque habent ponderis ad potentiam divinam exhibendam, si praeter corporis generationem ad ipsum Deum respiciunt ut partis hominis praecipuae auctorem, animae scilicet, quippe quae non possit

---

[9]) De Genes. ad litt. X, 9.

simul cum corpore interfici, quia non a parentibus, sed directe a Deo ipso, originem habeat et aliquando ut ab eodem cum corpore resuscitato conjungatur futurum sit.

Denique respiciendum videtur Hebr. 12, 9: „Patres quidem carnis nostrae eruditores habuimus et reverebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus?" Profecto spiritus, quorum pater hoc loco Deus nominatur, vix soli spiritus coelestes esse possunt, sed, quum spiritus carni humanae et pater spirituum opponatur patribus carnis humanae, certe quum angelos tum animas humanas comprehendant necesse est. Quod si ita se habet, Deus animarum auctor est sensu quodam peculiari et alio, ac carnis nostrae.

His propositis, jam eorum, quae in libris sacris de controversia nostra continentur, haec fere summa est: sacra scriptura, licet nec creatianismum nec traducianismum directe vel expresse confirmet, tamen et prorsus nulla continet, quae non possint cum creatianismo conciliari, et aliquos locos insignes perhibet, quibus si minus creatianismi veritas, saltem hujus sententiae probabilitas potest colligi. Jam vero antequam investigemus, num haec de origine animarum quaestio ex aliis certis sacrae scripturae doctrinis certo colligi manifestoque possit decidi, videamus, quid veteres ecclesiae patres, in quibus alter revelationis divinae fons consistit, de eadem re doceant.

Caput III.

Veterum Patrum vel scriptorum ecclesiasticorum de traducianismo et creatianismo sententiae.

§. 10.

Ut in ceteris, sic etiam in origine hominis proponenda, antiquissimi ecclesiae patres popularem sacrorum librorum rationem atque orationem studiose servabant, itaque ne hanc quidem doctam de animarum origine quaestionem tractaverunt vel deciderunt. Sed etiam post Tertulliani aetatem, quum controversia de animarum propagatione a scientia Christiana, quae mature cepit incrementa, magnopere jactaretur, non est mirandum, multos ecclesiasticos scriptores minime de animarum propagandarum modo disputavisse, sive non fuit data occasio, sive de industria eam quaestionem evitarunt. Illorum vero scriptorum veterum, qui omnino data opera in animarum propagationem inquisiverunt, vel saltem hac de re quampiam certam sententiam proposuerunt, quoniam praeexistentianismus jam rejectus est, tria genera sunt distinguenda: alii enim creatianismum tuentur, alii traducianismum, alii controversiam inter utrumque non audent dirimere. Quorum omnium insigniora saltem effata, jam propositum nostrum postulat, ut afferantur atque ponderentur. Attamen satis erit, quinque priorum saeculorum documenta proponere; nam viri docti in eo conveniunt, tempore postero certe creatianismum paene omnibus probatum fuisse[1]).

Jam vero placet a creatianismi patronis, qui longe plurimi fuerunt, initium facere, et perspicuitatis causa scriptores Latinos secernere a Graecis.

---

[1]) Frohschammer, p. 33.

§. 11.

E Graecis igitur veterrimus creatianismi testis adducendus est Clemens Alexandrinus, initio saeculi tertii post Christum natum mortuus. Qui, inter animam sensualem (*πνεῦμα σαρκικόν* vel *σωματικόν*) et inter animam rationalem (*πνεῦμα ἡγεμονικόν* vel *λογιστικόν*) facto discrimine [2]), hanc ultimam quidem diserte negat per generationem exsistere, stromat. VI, pag. 681 (ed. Colon. 1688): *Ἐπειςκρίνεται δὲ ἡ ψυχὴ καὶ προειςκρίνεται τὸ ἡγεμονικὸν, ᾧ διαλογιζόμεθα, οὐ κατὰ τὴν τοῦ σπέρματος καταβολὴν γεννώμενον, ὡς συνάγεσθαι καὶ ἄνευ τούτου τὸν δεκατὸν ἀριθμὸν, δι' ὧν ἡ πᾶσα ἐνέργεια τοῦ ἀνθρώπου ἐπιτελεῖται.* Atqui Clemens etiam praeexistentiam animarum, quemadmodum supra [3]) vidimus, pari modo repudiat; relinquitur igitur, ut ille creatianismi patronus agnoscatur, praesertim quum huic sententiae alii quoque nonnulli loci ejusdem favere videantur [4]).

Sed clarius sub finem ejusdem saeculi singularum animarum creationem Methodius profitetur, conviv. decem virgg. orat. II: *Οὐ μὴν ἤδη καὶ τῆς ψυχῆς τὴν ἀθάνατον οὐσίαν μετὰ τοῦ θνητοῦ σπείρεσθαι διδάσκων πιστωθήσεται σώματος· τὸ γὰρ ἀθάνατον καὶ ἀγήρω μόνος ὁ Παντοκράτωρ ἐμφυσᾷ ἡμῖν, καὶ μόνος τῶν ἀοράτων ἐστὶ καὶ ἀνολέθρων ποιητής.*

Deinde saeculo quarto etiam plures creatianismi propugnatores inveniuntur. Sancti quidem Athanasii sufficiat hic fecisse mentionem; occurrunt enim in scriptis ejus aliqua

---

[2]) Cf. Staudenmaier, Dogmatik III, p. 443 sq. Zukrigl, kritische Untersuchung über das Wesen der vernünftigen Geistseele etc. Regensburg 1854, p. 49 sqq.

[3]) Pag. 5.

[4]) Vide libellum, cui titulus est: die Lehrmeinungen über den Ursprung der Seelen in den vier ersten Jahrhunderten der Kirche. Von Dr. Joh. Marcus. Salzburg 1854, p. 10.

effata, quae cum creatianismo quidem concordant magis, quam cum traducianismo, neque tamen ita sunt perspicua, ut certae firmaeque demonstrationi possint inservire [5]). Sanctus autem Ephraem, lux illa ecclesiae Syriacae et totius Orientis, summa claritate de animarum origine disserit, de perfectione monachi: *Οὐ γάρ ἐστιν ἄλλη ψυχὴ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς ἐνεργοῦσα, ἑτέρα ἐν τοῖς νοητοῖς. Συγγεγένηται ἡ ψυχὴ, ἀλλ' οὐ συνέσπαρται· συνεκτίσθη τῷ σώματι, ἀλλ' οἰκείαν ἔχουσα ὑπόστασιν. Ἡ γὰρ φύσις ἐστὶν ὁ δεσμὸς, ἥτις ἐν τῷ σώματι συσπείρεται, καὶ τὴν ψυχὴν συγκτιζομένην κρατεῖ. Ὁ σπόρος ἐκ συνουσίας, ἡ καὶ πλάσις τοῦ ἀνθρώπου ἐκ θείου πνεύματος. Τότε συγκτίζεται ἡ ψυχὴ, ὅτε καὶ τὸ σῶμα τοῦ ἀνθρώπου εἰκόνα λαμβάνει, εἰς ἀποδιάκρισιν τοῦ συγκεχυμένου σπέρματος.*

Pari modo animarum creationi patrocinatur Gregorius Nazianzenus, arcanor. carm. VII (de anima):

Σῶμα μὲν ἐκ σαρκῶν, ψυχὴ δὲ ἐπιμίσγετ' ἀΐστως,
Ἔκτοθεν εἰςπίπτουσα πλάσιν χοός· οἶδεν ὁ μίξας,
Πῶς πρῶτόν τ' ἔπνευσε, καὶ εἰκόνα δήσατο γαίῃ.

Idem porro carm. II in laud. virginitat.:

Οὐχ ὅλον ἀνθρώπου πατὴρ βροτὸς, ὡς ἐνέπουσιν,
Ἀλλ' ὅσσον σαρκός τε καὶ αἵματος ἀμφοτέρων μὲν
Ὀλλυμένων, ψυχὴ δὲ θεοῦ κρατέοντος ἄημα
Ἔκτοθεν εἰςπίπτουσα χοὸς πλάσει· οἶδεν ὁ μίξας,
Πῶς τοπρῶτον ἔπνευσε, καὶ εἰκόνα μίξατο γαίῃ.

Neque minus Gregorius Nyssenus creatianismum profitetur; dicit enim, de anima serm. I (Opp. I, pag. 935, ed. Par. 1615): *Εἰ πάντα τὰ κατὰ διαδοχὴν ἐξ ἀλληλογονίας γινόμενα δέδεικται θνητὰ· διὰ τοῦτο γὰρ γεννᾷ καὶ γεννᾶται,*

---

5) Ibid. p. 13 sqq.

ἵνα τῶν φθαρτῶν διαμείνῃ το γένος· ἀνάγκη καὶ τούτων ἢ θνητὴν εἶναι λέγειν τὴν ψυχὴν ἐξ ἀλληλογονίας γεννωμένην, ἢ μὴ κατὰ διαδοχὴν ἐξ ἀλληλογονίας γεννᾶσθαι τὰς ψυχάς· τὸ γὰρ ἐπὶ τῶν ἐκ μοιχείας γεννωμένων τῷ τῆς προνοίας λόγῳ καταλείπομεν, ἀγνώστῳ παρ' ἡμῖν ὄντι. Itaque pater ecclesiae animarum generationem disertim reprobat, quia singularum immortalitatem in discrimen vocare videatur, creationem autem per Deum tuetur, quamvis non videat, qua ratione possint revinci ii, qui dicant, illam doctrinam facere Deum participem adulterii. Quare ne ex iis quidem, quae apud eundem auctorem leguntur, de hom. opif. c. 29: Ἑνὸς ὄντος τοῦ ἀνθρώπου, τοῦ διὰ ψυχῆς τε καὶ σώματος συνεστηκότος, μίαν αὐτοῦ καὶ κοινὴν τῆς συστάσεως τὴν ἀρχὴν ὑποτίθεσθαι, ὡς ἂν μὴ αὐτὸς ἑαυτοῦ προγενέστερός τε καὶ νεώτερος γένοιτο, τοῦ μὲν σωματικοῦ προτερεύοντος ἐν αὐτῷ, τοῦ δὲ ἑτέρου ἐφυστερίζοντος —, ne ex his quidem, inquam, ut fit a multis, erit colligendum, Gregorium Nyssenum esse patronum traducianismi, quum solummodo doceat, animam et corpus, quae unita unum hominem efficiant, ne in origine quidem separanda esse, sed eodem temporis momento ambo cooriri [6]).

Jam vero e quinti saeculi scriptoribus Graecis primum ad Cyrillum Alexandrinum provocamus, qui prae ceteris in prima epistola ad presbyteros etc. data haec exhibet: *Αἱ μὲν τῆς ἐπὶ γῆς μητέρες, ὑπηρετοῦσαι τῇ φύσει πρὸς γέννησιν, ἔχουσι μὲν ἐν μήτρᾳ πηγνυμένην κατὰ βραχὺ τὴν σάρκα, καὶ ἀφράστοις τισὶν ἐνεργείαις Θεοῦ, προϊοῦσαν καὶ τελειουμένην εἰς εἶδος τὸ ἀνθρώπινον· ἐνίησι δὲ τῷ ζώῳ τὸ πνεῦμα ὁ Θεός, καθ' ὃν οἶδε τρόπον, πλάττει γὰρ τὸ πνεῦμα ἀνθρώ-*

6) Atque eodem modo intelligenda sunt verba Gregorii Nazianzeni (carm. XIII de humana natura) de anima hominis dicta:

σάρκεσσιν ὁμόσπορος ἐς βίον ἦλθες.

που ἐν αὐτῷ, κατὰ τὴν τοῦ προφήτου φωνήν. Totus videlicet hujus loci tenor id sequitur, ut adversus haeresim Nestorianam beatae virgini Mariae nomen deiparae (*θεοτόκου*) vindicetur. Quemadmodum enim mater alicujus hominis merito integri hominis, non alterius partis hominis, mater nominetur, quamvis solum corpus natura sua protulerit, animam a Deo creatam receperit: sic etiam Mariam virginem merito nominari matrem Christi et matrem Dei, quamvis Filius Dei, aeterno Patre natus, ab illa solam humanam carnem assumserit[7]).

Denique Theodoretum, celeberrimum sacrarum litterarum interpretem, afferimus. Ejus quidem unus locus creatianismum affirmans jam supra laudatus est[8]), cui hunc alterum addimus, Graecar. affect. curat. disput. IV: *Ῥᾴδιον γὰρ Θεῷ καὶ ἐκ μὴ ὄντων καὶ ἐξ ὄντων δημιουργεῖν· τοῦτο γὰρ δὴ καὶ πάλαι πεποίηκε, καὶ καθ' ἑκάστην, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἡμέραν ποιεῖ, καὶ γὰρ ἐξ ὑποκειμένων σωμάτων διαπλάττει τῶν ζώων τὰ σώματα, καὶ ἐκ μὴ ὄντων δημιουργεῖ τὰς ψυχὰς, οὐχ ἅπασι τοῖς ζώοις, ἀλλὰ μόνοις ἀνθρώποις.* Idem scriptor, rejiciens eam opinionem, quae animae et corporis originem aliquo temporis intervallo interposito separat, sic loquitur, fabb. haeret. V, 9: *Ἡ δὲ ἐκκλησία, τοῖς θείοις πειθομένη λόγοις .... λέγει τὴν ψυχὴν συνδημιουργεῖσθαι τῷ σώματι.*

§. 12.

Deinceps ad scriptores ecclesiae occidentalis veniamus, quorum multi, maxime Tertulliani de animarum origine doctrina commoti, inde a fine saeculi tertii creatianismum propugnaverunt. Ac primum quidem Lactantium laudamus, qui satis accurate et copiose de hac re disputat, de opificio

---

7) Conf. Marcus, die Lehrmeinungen etc. p. 20 sq.

8) Graecar affect. curat. disput. V. — p. 15.

Dei ad Demetr. c. 19: „Illud quoque venire in quaestionem potest, utrum anima ex patre, an potius ex matre, an vero ex utroque generetur. Nihil ex his tribus verum est, quia neque ex utroque, neque ex alterutro seruntur animae. Corpus enim ex corporibus nasci potest, quoniam confertur aliquid ex utroque: de animis anima non potest, quia ex re tenui et incomprehensibili nihil potest decedere. Itaque serendarum animarum ratio uni ac soli Deo subjacet.

Denique coelesti sumus omnes semine oriundi:

Omnibus ille idem pater est,

ut ait Lucretius. Nam de mortalibus non potest quidquam nisi mortale generari. Nec putari pater debet, qui transfudisse aut inspirasse animam de sua nullo modo sentit; nec si sentiat, quando tamen et quomodo id fiat, habet animo comprehensum. Ex quo apparet, non a parentibus dari animas, sed ab uno eodemque omnium Deo patre, qui legem rationemque nascendi tenet solus, si quidem solus efficit."

Pari modo s. Hilarius pluribus locis, sed imprimis dilucide, ortum Jesu Christi ex Maria virgine comparans, de Trinit. X, 20: „Si intelligerent sacramentum carnis assumtae, intelligerent etiam sacramentum ejusdem et hominis filii et Dei filii. Quasi vero, si tantum ex Virgine assumsisset corpus, assumsisset quoque ex eadem et animam: cum anima omnis opus Dei est, carnis vero generatio semper ex carne fit." Atque aliquantum inferius, cap. 22: „Sed ut per se sibi assumsit ex Virgine corpus, ita ex se sibi animam assumsit, quae utique nunquam ab homine gignentium originibus praebetur."

Tum s. Ambrosius in numero eorum habendus est, qui creatianismum profitentur, si quidem cum ejus loco supra

laudato[9]) haec confers, quae sequuntur, de bono mortis cap. 9: „Non enim mori animam cum corpore manifestum est, quia non est de corpore.“ Ibid. cap. 7: „Ac ne forte, quia infunditur anima corpori, etiam confundi putetur, exemplum nobis sit hujus luminis gratia.“

Item Prudentius, quamvis ipsi animarum propagandarum ratio videatur valde mira et incomprehensa, sicut omnibus creatianismi fautoribus certe videtur, expressis tamen verbis traducianismum improbat, apotheos. de nat. anim. v. 915 sqq.:

„Vitandus tamen error erit, ne traduce carnis
Transfundi in sobolem credatur fons animarum
Sanguinis exemplo, cui texta propagine vena est.
Non animas animae pariunt, sed lege latenti
Fundit opus natura suum, quod parvula anhelent
Vascula, vitalisque adsit scintilla coactis.“

Jam inter maxime constantes creatianismi defensores numerandus est s. Hieronymus. Duobus locis insignibus, ex ejus scriptis supra propositis[10]), hos praeterea addimus: contra Ruffinum III, 8: „Quaeris a me, quid ipse de animabus sentiam, ut, quum professus fuero, statim invadas. Et si dixero illud ecclesiasticum: Quotidie Deus operatur animas et in corpora eas mittit nascentium: illico magistri tendiculas proferas, et ubi est justitia Dei, ut de adulterio incestuque nascentibus animas largiatur? Ergo cooperator est malorum hominum et adulteris seminantibus corpora ipse fabricatur animas? Quasi vitium sementis in tritico sit, quod furto dicitur esse sublatum, et non in eo, qui frumenta furatus est.“ Quod Hieronymus hoc loco creatianismum

---

9) De Paradiso cap. 11. — pag. 22.

10) Ep. 82 ad Marcellin. et Anaps.—p. 3.; in Eccles. 12, 7.—p. 23.

tanquam ecclesiasticam de origine animarum doctrinam significat, idem facit ep. 61 (ed. Antwerp. 1578) ad Pammach. adv. Joan. Hieros. c. 6: „Cain et Abel, primi ex primis hominibus, unde habuere animas? Omne deinceps humanum genus, quibus animarum censetur exordiis? Utrum ex traduce, juxta bruta animalia, ut quomodo corpus ex corpore, sic anima generetur ex anima? an rationabiles creaturae desiderio corporum paulatim ad terram delapsae, novissime etiam humanis illigatae corporibus sint? an certe, quod Ecclesiasticum est secundum eloquia Salvatoris „Pater usque modo operatur et ego operor,“ et illud Zachariae „Qui format spiritum hominis in ipso,“ et in psalmis „Qui fingit per singulos corda eorum,“ quotidie Deus fabricatur animas, cujus velle fecisse est, et conditor esse non cessat?“ Quodsi vero eo tempore, quum ecclesia haeresi Pelagiana vehementer turbaretur, ejusque erroris propugnatores ad singularum animarum creationem, quasi haec peccatum haereditarium excluderet, provocare solerent, Hieronymus Marcellinum et Anapsychiam, homines Africanos, qui eum de animarum origine interrogaverant, sua propria sententia proposita, insuper etiam ad s. Augustinum, cujus librum de origine animae laudibus effert, delegavit (ep. 82): nullo modo debet inde colligi, illum Patrem de origine animarum mutavisse sententiam; facilitatis nimirum in illo sane inconsuetae causam ipse satis luculenter indicat, quum ad s. Augustinum (ep. 94) scribit: „Duobus libellis tuis de animae origine, quos meo nomini dedicasti, eruditissimis et omni eloquentiae splendore fulgentibus ad tempus respondere non potui, non quo quidquam in illis reprehendendum putem, sed quia juxta Apostolum: unusquisque in sensu abundet, alius quidem sic, alius autem sic ..... Ceterum aemuli et maxime ici haeret, si

diversas inter nos sententias viderint, de animi calumniabuntur rancore descendere. Mihi autem decretum est te amare, te suscipere, colere, mirari, tuaque dicta quasi mea defendere. Magisque demus operam, ut perniciosissima haeresis (Pelagianorum) de Ecclesia auferatur.“

Praeterea cretianismi patronis adnumeramus s. Leonem Magnum, summum pontificem, qui ep. 93 (ed. Lovan. 1575) ad Turib. c. 10 scribit: „Catholica fides constanter praedicat atque veraciter, quod animae hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporantur, nisi ab opifice Deo, qui et ipsarum est creator et corporum.“ Licet enim hujus loci verba ultima Deum, ut animarum, sic etiam corporum creatorem significent, tamen, si totus orationis tenor, imprimis illud „inspirarentur, incorporantur“ respicitur, dandum erit, Deum animarum quidem creatorem alio sensu intelligendum esse, ac corporum, nisi forte quis s. Leonem adeo ipsius traducianismi patronis de industria volet adnumerare.

Postremo ad finem saeculi quinti Gennadius Massiliensis scribit, de ecclesiast. dogmat. c. 14: „Animas hominum non esse ab initio inter ceteras intellectuales naturas, nec simul creatas, sicut Origenes fingit, neque cum corporibus per coitum seminantur, sicut Luciferiani, Cyrillus et aliqui Latinorum praesumtores affirmant, quasi naturae consequentiam servantes; sed dicimus, creationem animae solum creatorem omnium nosse, et corpus tantum per conjugii copulam seminari, Dei vero judicio coagulari, compingi atque formari, ac formato jam corpore animam creari et infundi, ut vivat homo, ex anima constans et corpore.“

At plures creatianismi testes veteres adhibere ex pro-

posito nostro non opus est[11]), quare ad traducianorum sententias proponendas pergamus.

§. 13.

Si igitur nonnulla s. Irenaei[12]) de animae origine effata satis obscura et ambigua, cohaerentia praeterea cum insueta quadam de hominis partibus opinione, mittimus: primus traducianismi auctor et patronus clarissimus Tertullianus nobis occurrit, qui praecipue in libro de anima, cap. 19 et 27, quos locos jam supra[13]) attulimus, ortum animarum per traducem docet. Ac supra significatum quoque est, Tertulliani sententiam de animarum origine, quamvis, certe cap. 27, ut generatianismus sensu proprio describatur, esse admodum rudem et magis ad corporis quam ad animae naturam ac dignitatem accommodatam; si quidem ille scriptor ecclesiasticus de ipsa animae natura in hunc modum disserit, de anima cap. 9: „Cum animae corpus asserimus propriae qualitatis et sui generis . . . profitebimur, sollemniora quaeque et omnimodo debita corpulentiae adesse animae quoque, ut habitum, ut terminum, ut illud trifariam distantivum, longitudinem dico, et latitudinem et sublimitatem, quibus metantur corpora philosophi . . . . Hic erit homo interior, alius exterior, dupliciter unus, habens et ille oculos et aures suas; quibus Paulus (2 Cor. 12, 2—4) dominum audire et videre debuerat, habens et ceteros artus, per quos et in cogitationibus utitur et in somniis fungitur. Sic et diviti apud inferos lingua est et pauperi digitus et sinus Abrahae.“ Atque similiter ille multis aliis locis.

---

11) Attamen vide Staudenmaier, Dogm. III, p. 455 seqq.

12) Adv. haeres. V, 9 et 12. Cf. Staudenmaier, l. c. p. 453 seq. Frohschammer, p. 191 seq. Möhler's Patrologie I p. 366 seqq.

13) Pag. 10 seq.

Item Macarius Aegyptius, qui saeculo quarto vivebat, disertus traducianismi patronus exsistit, dum dicit, hom. XXX, 1: *Οἱ ἐπὶ γῆς πατέρες ἐκ τῆς ἑαυτῶν φύσεως γεννῶσι τέκνα ἐκ τοῦ σώματος αὐτῶν καὶ τῆς ψυχῆς.* Sed itidem e re est significare, Macarium quoque, id quod monachum Aegyptium fecisse haud mirum est, quum angelis tum animis humanis quoddam corpus sui generis tenuissimum et quasi aethereum adtribuisse [14]).

Haud multo denique rectius Anastasium Sinaitam, qui sub finem sexti saeculi traducianismi propugnator evasit, de natura animae humanae sensisse, ex eo manifestum est, quod in ejus homilia superstite (in Bandini monum. eccl. Graec. II, p. 54, secundum Münscher — Coelln I, p. 332) haec leguntur: *Τὸ μὲν σῶμα ἐκ τῆς γυναικείας γῆς καὶ αἵματος συνίσταται· ἡ δὲ ψυχὴ διὰ τῆς σπορᾶς, ὥπερ διά τινος ἐμφυσήματος ἐκ τοῦ ἀνθρώπου ἀῤῥήτως μεταδίδοται.*

Praeter hos tres secundum s. Hieronymum (ep. 82 ad Marcellin et Anapsych.) etiam „Apollinaris et maxima pars occidentalium", nec non secundum Gennadium (de ecclesiast. dogmm. cap. 14) „Luciferiani, Cyrillus et aliqui Latinorum praesumtores" animarum generationem defenderunt. Quod jam attinet ad Luciferianos et ad Apollinarem, istorum quidem de origine animarum doctrina ex ipsorum scriptis nequit examinari: Apollinaris sane opinio de hac re facile perperam poterat intelligi; etenim hic, qui *ψυχήν* et *πνεῦμα*, animam sensualem et rationalem, in homine distinguebat, quum animam sensualem doceret generari, rationalis nihilominus poterat retinere creationem. Quis vero noster Cyrillus fuerit, minime liquet; nam Hierosolymitanus ille in

---

[14]) Cf. Schröckh, christl. Kirchengesch. Th. VIII, p. 319 et 327.

scriptis suis superstitibus de origine animarum nihil habet, Alexandrinum creatianismum secutum esse, supra vidimus. Jam vero si praeterea animo consideramus, tot tamque praestantes ecclesiasticos scriptores diserte creatianismum professos esse, nonnullosque alios, ut inferius videbimus, certis de causis hanc controversiam omnino noluisse decidere, satis manifestum est, Hieronymi „maximam partem occidentalium" non ita religiose accipiendam esse: videlicet ille Pater, quum Pelagianorum objectiones et cavillationes multorumque bonorum dubitationes atque haesitationes undique obstreperent, vocabulis hyperbolicis, ut solebat, usus esse videtur: certe jam Gennadius nonnisi „aliquos Latinorum praesumtores", atque in his Tertullianum ipsum inclusum, ut traducianos commemorat.

Quodsi tandem recentiores traducianismi sectatores [15]) id magnopere jactant, quod Pelagiani Catholicos tum temporis per contumeliam traducianos appellaverint, in eo quidem non mihi videtur multum ponderis inesse: immo si illi revera traduciani fuissent, si eam opinionem revera pro sana et Catholica habuissent, ejusmodi appellatio minime iis esse potuisset contumeliosa vel invidiosa: at si revera erant creatiani, profecto aegre ferre debebant, quum haeretici iis traducianismum, quasi ex peccato originis necessario consequentem, contenderent obtrudere.

§. 14.

Sed jam reliquam testium classem producamus, nempe eorum, qui certis propositis causis inter creatianismum et traducianismum noluerunt dijudicare.

Arnobius quidem, qui saeculo tertio floruit, hoc loco

---

[15]) Frohschammer p. 62; Klee, katholische Dogmatik II, p. 308.

vix videtur nominandus; scripsit enim suas „disputationes adversus gentes", antequam baptismum accepit et doctrinam Christianam penitus perspexit; attamen paganorum opiniones de anima et origine ejus in opere suo impugnat negatque, omnino de hac re quidquam posse sciri. „Uter magis", inquit (lib. II, c. 21), „videtur irrisione esse dignissimus vobis, qui sibi scientiam nullam tenebrosae rei alicujus assumsit, an ille, qui retur, se ex se apertissime scire id, quod humanam transiliat notionem, et quod sit caecis obscuritatibus involutum?"

Tum Pamphilus Martyr in apologia, quam pro Origene scripsit, illam quaestionem in dubio atque suspenso relinquere videtur; namque partim opinioni Origenianae de ortu animarum non tam veritatem quam innocentiam vindicare et solummodo haeresis convicium ab eadem avertere studet, partim diligentissime eas difficultates significat, quibus et varia traducianismi genera et ipsa singularum animarum creatio continua atque perdurans laboret[16]. Pamphilum vero secutus est Ruffinus Aquilejensis, qui pari modo auctoritate Origenis, quem, ut magistrum suum, maximi faciebat, ductus, in apologia pro fide sua ad s. Anastasium papam missa obtestatur, se nihil certi et definiti de hac quaestione tenere, praeter hoc, quod manifeste tradat ecclesia, Deum esse et animarum et corporum conditorem[17].

At maximi momenti s. Augustini dubitatio de origine animarum est, quo nemo diligentius eam quaestionem tractavit pluribus libris peculiaribus, epistolis ad multos missis, scriptisque cujuscunque argumenti, si dabant occasionem. Cujus industriae causa potissimum erat, quod Pelagiani

---

16) Cf. nostrae scription. p. 5.

17) Cf. Hieronymi apol. adv. Ruff. III, 8.

maxime creatianismo abutebantur ad doctrinam de peccato originali impugnandam.

Itaque s. Augustinus, qui animarum praeexistentiam vel earum emanationem ex ipsa essentia divina firmissime reprobavit[18]), eam controversiam, quae illo tempore inter creatianismum et traducianismum magnopere agitabatur, nunquam ausus est dirimere. „Jam de ceterarum animarum adventu," inquit, „utrum ex parentibus an desuper sit, vincant, qui poterunt: ego adhuc inter utrosque ambigo, et moveor aliquando sic, aliquando autem sic" de Genes. ad litt. X, 21. Ita sentire existimabat sibi licere, quum et scriptura sacra nihil certi de hac re contineret[19]), et controversarum sententiarum utraque cum doctrina Catholica de Deo omnium rerum creatore consentiret; nam etiam si anima traduceretur ex anima, tamen Deum fore auctorem primae animae et perpetuam causam fecunditatis ejusdem[20]). Traducianorum quidem sententia ei arridebat, quia doctrinae ecclesiasticae de peccato originali et de recens natis baptizandis valde consentanea videbatur. „Si una anima facta est, ex qua omnium hominum animae trahuntur nascentium, quis potest dicere, non se peccasse, cum primus ille peccavit?" de lib. arbitrio III, 20. Neque tamen rejecto creatianismo tradu-

---

18) Vide Gangauf, metaphysische Psychologie des heil. Augustinus. Augsburg 1852. p. 182 sqq. et 233 sqq.

19) S. Pater, postquam singula Scripturae effata huc spectantia examinavit, sic concludit, de Gen. ad litt. X, 10: „Quonam modo per divini eloquii testimonium ista quaestio solvatur ignoro." Item scripsit in ep. 190 (ed. Benedict.) ad Optat. c. 5: „Aliquid ergo certum de animae origine nondum in scripturis canonicis comperi."

20) Si quidem vel ipsius corporis humani supremus auctor Deus est, „quia et corporis membra et corporis sensus, et corporis formam et corporis omnino substantiam ipse hominibus dat, quamvis ex propagine det" de anima et ejus origine I, 16. Cf. de civ. Dei XII, 25.

cianismum ut unice veram de animis propagandis sententiam unquam agnovit, quia non poterat intelligere, quomodo non tribueret animis humanis aliquam corporum speciem. Scripsit enim ep. 190 ad Optat. c. 4: „Mirum, si ullus sensus comprehendit humanus, quonam modo, tanquam lucerna de lucerna accendatur, et sine detrimento alterius alter inde ignis exsistat, sic anima de anima parentis fiat in prole, vel traducatur in prolem: utrum incorporeum semen animae, sua quadam occulta et invisibili via seorsum ex patre currat in matrem, cum fit conceptus in femina: an, quod est incredibilius, in semine corporis lateat.“ Atque item de Gen. ad litt. X, 24: „Admoneo sane, quantum valeo, si quos ista praeoccupavit opinio, ut animas ex parentibus credant propagari, quantum possunt, se ipsos considerent, et interim sapiant, corpora non esse animas suas.“ Tertulliani certe opinionem expresse improbat, ep. 190 ad Optat. c. 4: „Nam et illi, qui animas ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, et corpulentis seminibus exoriri: quo perversius quid dici potest? Neque hoc Tertullianum somniasse mirandum est, qui etiam ipsum creatorem Deum non esse nisi corpus opinatur.“

Attamen etiam singularum animarum creationem s. Augustinus in suspenso relinquebat, quum et ipsa variis videretur laborare difficultatibus, quarum ut longe gravissimam et quasi plane inexplicabilem saepius significavit necessitatem parvulos baptizandi. „Haec et alia“, scripsit ep. 166 ad s. Hieronymum cap. 6, „quae possum, sicut possum, dico adversus eos, qui hanc opinionem, qua creduntur animae sicut illa una singulis fieri, labefactare co-

nantur. Sed cum ad poenas ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coarctor angustiis, nec, quid respondeam, prorsus invenio.“ Quamobrem creatianorum sententiam admittit his conditionibus: „ne dicant, a Deo fieri animas peccatrices per alienum originale peccatum: ne dicant, parvulos, qui sine baptismo exierint, pervenire posse ad vitam aeternam regnumque coelorum, originali peccato per quodlibet aliud resoluto: ne dicant, animas peccasse alicubi ante carnem et hoc merito in carnem peccatricem fuisse detrusas: ne dicant, peccata, quae in eis inventa non sunt, quia praescita sunt, merito fuisse punita, cum ad eam vitam, ubi ea committerent, permissae non fuerint pervenire“ de anima et ej. orig. I, 19[21]). Quantopere ceteroquin doctissimo Patri creatianismus probaretur, ut sane illi pro ipsius de natura animae judicio[22]) probari debuit, jam ex eo perspicere licet, quod difficultatibus hujus doctrinae expediendis tantam operam navavit. Sed etiam disertis verbis hoc confitetur, ep. 166 ad Hieron. c. 8: „Licet nemo faciat optando, ut verum sit, quod verum non est: tamen si fieri posset, optarem, ut haec sententia vera esset.“ Et ibidem cap. 4: „Ecce volo, ut illa sententia etiam mea sit, sed nondum esse confirmo.“ Quam ob rem ita pergit: „Doce ergo, quaeso, quod doceam, doce, quod teneam, et dic mihi, si animae singillatim

---

[21]) Eundem fere sensum ea perhibent, quae de Pelagianis dicit, ep. 190 ad Optat. c. 6: „Hi autem non ideo sunt haeretici, quum dicunt, animas originem de illa prima peccatrice non ducere, quod vel aliqua fortasse ratione vera dici potest, vel sine fidei labe nesciri: sed hinc conantur efficere (unde omnino apertissimi haeretici judicantur), animas parvulorum nihil mali ex Adam trahere, quod sit lavacro regenerationis expiandum.“

[22]) De Gen. ad litt. XII, 33: „Animam vero non esse corpoream, non me putare, sed plane scire, audeo profiteri.“ Cf. ibid. X, 24.

singulis hodieque nascentibus fiunt, ubi in parvulis peccent, ut indigeant in sacramento Christi remissione peccati, peccantes in Adam, ex quo caro est propagata peccati."

Atque veri simillimum vel potius certum est, s. Augustinum, dum viveret, illam dubitationem nunquam superasse; etenim jam sub finem vitae scripsit, retractt. I, 1: „Nam quod attinet ad ejus (sc. animi) originem, qua fit, ut sit in corpore, utrum de illo uno sit, qui primum creatus est, quando factus est homo in animam vivam; an similiter ita fiant singulis singuli, nec tunc sciebam, nec adhuc scio." Nec non in opere imperfecto contra Julianum IV, 104: „Argue de origine animarum cunctationem meam, quia non audeo docere vel affirmare, quod nescio."

Restat, ut s. Gregorius Magnus hoc loco commemoretur, qui adhuc exeunte saeculo sexto eandem, quam Augustinus tenuerat, sententiam de modo animarum propagandarum expressit, epp. VII, 53 (ed. Antwerp. 1572) ad Secundinum: „Sed de hac re dulcissima mihi tua caritas sciat, quia de origine animae inter sanctos Patres requisitio non parva versata est; sed utrum ipsa ab Adam descenderit, an certe singulis detur, incertum remansit, eamque in hac vita insolubilem fassi sunt esse quaestionem. Gravis enim est quaestio nec valet ab homine comprehendi, quia si de Adam substantia cum carne nascitur, cur non etiam cum carne moritur? Si vero cum carne non nascitur, cur in ea carne, quae de Adam prolata est, obligata peccatis tenetur?"

§. 15.

Atqui si ea, quae hucusque e scriptoribus ecclesiasticis veteribus proposita sunt, cum animo tuo consideres, facile concedas, creatianismum et numero et auctoritate testium longe anteire traducianismum. Immo tota de origine ani-

marum controversia jam in favorem creatianismi existimanda esset composita, nisi pauci qui, in quibus omnium facile Patrum et scriptorum ecclesiasticorum sagacissimus atque ingeniosissimus s. Augustinus, propter magnas utriusque sententiae difficultates rem in suspenso reliquissent. Nihilominus tamen manifestum hoc quidem est, certam de modo animarum propagandarum traditionem apostolicam exstitisse nullam: ejusmodi enim traditio totam hanc controversiam, inter doctores quidem ecclesiasticos, illico praecidisset. Relinquitur igitur, ut investigemus, num quaestio de origine animarum, quam sacrae scripturae et traditionis ecclesiasticae documenta, quamvis magis faveant creatianismo, in dubio reliquerunt, a scientia theologica ratiocinationibus et conclusionibus ductis e certa ecclesiae doctrina certo possit decidi.

Caput IV.

Theologorum de traducianismo et creatianismo ratiocinationes.

§. 16.

Ipsa hujus disputationis introductio significavit, jam philosophos antiquos, quum primum de nostra materia quaesivissent, eo adductos fuisse, ut animorum humanorum originem altius repeterent, quam corporum, quae eodem modo, quo animantes rationis expertes, a parentibus generarentur. Ibidem etiam monstratum est, Christianorum quoque viri docti, qui eam rem tractandam sumsissent, necesse fuisse tandem acquiescerent in sententia de singularum animarum

creatione, nisi forte, quasi re desperata, ad vulgarem indoctorum opinionem refugere vellent, quae, neglecta animae et corporis diversitate, utrique eandem originem, nempe per generationem, tribueret, id quod per doctrinam ecclesiasticam sane liceret. Attamen hoc quidem facile potuit patrare Tertullianus pro ingenio suo a philosophica contemplatione alienissimo; sed s. Augustinus ejusmodi opinionem ideo tantum potuit non rejicere, quod doctrinae de peccato originali magis consentanea videbatur, quam creatianismus, quem ceteroquin illius quoque philosophica animi indoles ingeniique sagacitas postulabat.

§. 17.

Jam vero causa, cur longe plurimi antiquorum doctorum Christianorum traducianismum rejecerunt, creatianismum secuti sunt, doctrina ecclesiastica fuit, quae de animae humanae dignitate atque natura proponitur. Repugnat enim vehementer Christiani hominis rationi existimare, animam immortalem, qua potissimum homo Dei imago praedicatur, eadem origine uti, qua corpus caducum et ignobile, „ut simili cum brutis animantibus conditione subsistat" [1]). Praeterea animae humanae immortalitas videatur in discrimine versari, si non a Deo immittatur corpori, sed una cum corpore generetur a parentibus. „Si de Adam substantia cum carne nascitur, cur non etiam cum carne moritur?" [2]) Jam Gregorius Nyssenus notavit, in quibus naturis generatio inveniretur, in iisdem etiam deprehendi mortalitatem; nimirum per generationem hoc potissimum intendi, ut, etiam si animantes singulae morerentur, tamen earum genus perduraret; si igitur animae humanae generarentur, verendum esse, ne

---

[1]) S. Hieron. ep. 82 ad Marcellin. et Anapsych.

[2]) S. Gregor. M. epp. VII, 53 ad Secundin.

etiam morerentur [3]). Sed etiam subtilius postea s. Thomas Aquinas rem tractavit. Animarum humanarum immortalitas, secundum illum, omnino in eo posita est, quod per se subsistunt et sunt incorporeae; brutorum animae cum corporibus corrumpuntur ideo, quod hae non subsistunt per se, sed sunt tantum accidentia et formae materiales. Atqui immaterialis substantia, qualis est hominis anima intellectiva, „non potest causari per generationem, sed solum per creationem a Deo. Ponere ergo, animam intellectivam a generante causari, nihil est aliud, quam ponere eam non subsistentem, et per consequens corrumpi eam cum corpore“ [4]).

§. 18.

Ipsa porro generationis notio cum natura animae humanae prorsus videtur pugnare. Etenim omnis generatio, quae quidem sensu proprio intelligatur, deprehenditur in solis animantibus corporeis: ut ea solummodo animantes corporeas profert, ita ipsa peragitur membris quibusdam corporum corporeisque seminibus, sexu masculino coeunte cum feminino sexu. Haec autem omnia nullo modo in animam humanam cadere possunt, quae creditur essentia sive substantia incorporea, simplex, individua, carens sexuum diversitate. „Corpus enim“, inquit Lactantius [5]), „ex corporibus nasci potest, quoniam confertur aliquid ex utroque: de animis anima non potest, quia ex re tenui et incomprehensibili nihil potest decedere.“ Atque hanc argumentationem theologi scholastici, qui dicuntur, majore etiam diligentia atque arte excoluerunt. Velut Hugo a s. Victore,

---

[3]) Cf. sermo I de anima, jam laudat. p. 27 sq.

[4]) Summa theolog. P. I, qu. 118, art. 2; cf. ibid. qu. 75, art. 2. 3. 6.

[5]) De opific. Dei c. 19; cf. huj. dissert. p. 30.

de sacrament. lib. I, part. 7, c. 30: „Spirituali non convenit, neque ex materia esse, quoniam essentialiter simplex est, sed neque materiam esse, quoniam in unitatis suae simplicitate individue semper consistens augeri vel multiplicari omnino non potest. Simplex enim natura propagationem non facit, ubi ad illud, quod propagandum est, ex eo, a quo propagandum est, pars sumi non potest, nisi totum transierit. Quod ergo unum est inter duo, si totum transierit, nihil ex eo remanet illi, a quo est. Si autem totum permanet, nihil confertur illi, ad quod est.“ Ceterum traducianismum revera incorpoream animae naturam tollere, nisi potius ipse jam e falsa opinione de natura animae originem duxerit, etiam ex eo colligi potest, quod, quemadmodum supra[6]) vidimus, veteres ejus doctrinae sectatores omnes revera animis humanis quaedam corpora, quamvis aetherea, attribuerunt.

At recentiores generatianismi patroni negant, generatione recte comprehensa et definita animae incorpoream et simplicem naturam in discrimen vocari, quum ipsum summum Numen, quamvis corpore et sexu careat, aeternum Filium genuerit[7]). Possumus vero illis opponere, aeterni Patris generationem esse quidem aliqua ratione similem generationi animantium ab illo creatarum, sed non esse plane eandem atque hanc; hoc enim maxime interesse inter non creati

---

[6]) P. 34 sqq.

[7]) Frohschammer pag. 68: „Sagen also die Creatianer, der Geist zeugt nicht, weil er zu hoch, zu rein, zu einfach ist dazu, so erwidern wir: Gott selber, der höchste, der vollkommenste, einfachste Geist zeuget; sagen sie, der Geist zeuget nicht, er ist zu unvollkommen, zu schwach dazu, so erwidern wir: die weit unvollkommeneren Organismen in der Natur zeugen sogar; der Geist muss wenigstens ebensoviel Macht und Inhalt haben, wie sie.“

Numinis et creatarum animantium generationes, quod illius generatio nullo sexu vel membro indigeat, nullis conficiatur seminibus corporeis, natura divina individua et simplicissima plane tota et integra in se perdurante, contra generatio naturarum creatarum non possit fieri, nisi per sexus, corporea semina, ac quasi per quandam ipsarum naturarum diremptionem et diminutionem. Attamen magis e re esse mihi videtur, utriusque generationis differentiam hoc quidem loco missam facere et insistere potius in eo, quo generatio naturarum finitarum, quae sola in nostrum sensum cadit, revera imago et simulacrum est generationis naturae infinitae, in quo omnis generationis notio potissimum vertitur, in quo igitur etiam sita est causa, ob quam divinitus docemur, eam rationem, qua Pater aeternus aeternum edidit Filium, intelligere et appellare generationem. Atqui omnis generationis vera et propria notio est, quod natura ejus animantis, quae gignitur, emanat vel educitur ex ipsa natura ejus animantis, quae gignit, unde inter animantem generatam et inter generantem exsistit quaedam cognatio et cohaerentia naturalis, quam viri docti suo jure consubstantialitatem (ὁμοουσίαν) appellant. Haec nimirum ratio a Christi fidelibus cultoribus agnoscitur in Deo uno et trino, quamvis ceteroquin sacrosanctae Trinitatis mysterium hominis imbecilla mente comprehendi ac perfecte intelligi nequeat; similisque ratio invenitur in omnibus quoque animantibus, quas in rerum natura sensibus animadvertimus, quarum numero etiam caro humana adjicienda est; at vero in animas humanas is ortus, qui per generationem, hoc est, per emanationem fit, non magis potest cadere, quam in angelos, quibus illae natura sua similes sunt; quodsi caderet, agnoscenda quoque esset universarum animarum naturalis cohae-

rentia essentiaeque unitas [8]), qua singularum immortalitas, ut jam notatum est, tolleretur. Quam certe opinionem oecumenicum concilium Lateranense V. (1512—17) in sessione 8 rejecit: „Damnamus et reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus et haec in dubium vertentes" (Acta concilior. ed. Harduin. IX, p. 1719).

§. 19.

Et his prolatis argumentationibus creatianismus traducianismum ex omni parte jam vicisse eumque principatum, quem ex antiquis ecclesiae temporibus merito nactus est, denuo confirmasse videtur. Non quidem ii sumus, qui traducianismi defensoribus haeresis convicium objiciamus [9]), quum Christianae veritatis sacri fontes de origine animarum expresse vel directe nihil doceant: nihilominus tamen illorum sententia a scientia theologica reprobetur necesse est, quum, quae ex ea consequuntur, doctrinam ecclesiasticam de natura animae humanae certo labefactent.

Ceterum, quum tot scriptores ecclesiastici creatianismum secuti sint, non jam videbitur mirum, eandem sententiam, licet infallibilis ecclesiae auctoritate nunquam expresse sancita fuerit, tamen in aliquibus ejusdem effatis esse quodam

---

[8]) Atque hanc quoque traducianismi consequentiam jam Hugo a s. V. significavit, locum supra laudatum, de sacram. lib. I, part. 7, c. 30, in hunc modum prosequens: „Si igitur anima ex anima gignitur, sicut caro ex carne: dicant quomodo simplex illa substantia aut tota in gignente remaneat, si in genitum transierit, aut tota in genitum transeat, si in gignente remanserit. Nisi forte omnes animas consubstantiales dicere velint et illam naturam simplicem in propagatione filiorum personaliter quidem multiplicari, sed essentialiter non dividi."

[9]) Quamquam s. Thomas non dubitat, locum supra allatum, Summ. P. I, qu. 118, art. 2, sic claudere: „Et ideo haereticum est dicere, quod anima intellectiva traducatur cum semine."

modo absconditam atque inclusam. Si igitur in *συνόδῳ ἐνδημούσῃ*, quae circiter medium sextum saeculum sub Menna patriarcha Constantinopoli celebrata est, docetur: *Ἡ ἐκκλησία τοῖς θείοις ἑπομένη λόγοις φάσκει τὴν ψυχὴν συνδημιουργηθῆναι τῷ σώματι*[10]): vocabulo *συνδημιουργηθῆναι* animarum creatio pari modo videtur indicari, atque vocabulo *συνδημιουργεῖσθαι*, quod apud Theodoretum, disertum creatianismi sectatorem, de eadem re propositum invenimus [11]). Sed majoris etiam momenti est, quod illud generale concilium Lateranense V. in loci jam laudati [12]) contextu animam humanam nominat „pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilem et multiplicatam et multiplicandam.“ Nimirum, si propria verborum vis retinetur, animas infundi corporibus, profecto iis licet optimo jure dicere, qui creatianismum sequuntur, fortasse etiam iis, quibus transfusianismus placet, at generatianismi propugnatoribus idem licere non videtur. Sin vero quis ex eo, quod anima dicitur multiplicabilis et multiplicata et multiplicanda, quoddam argumentum contra creatianismum repeteret, is admonendus esset, ut totius loci tenorem consideraret atque tempus, quo illa sancita sint. Videlicet Patres illius synodi id egerunt, ut haereticae animarum unitati vel consubstantialitati opponeretur animarum peculiaribus essentiis utentium multitudo, atque id ea fecerunt aetate, qua generatianismus universe a doctorum hominum cogitationibus sane remota erat. Denique illud quoque gravissimum est multumque ponderis ad nostram sententiam stabiliendam affert, quod etiam illa *ὀρθόδοξος ὁμολογία τῆς πίστεως τῆς καθολικῆς καὶ ἀπο-*

---

10) Vide Hagenbach, Dogmengesch. 2. Aufl. I, p. 261.

11) Fabb. haeret. V, 9; vide p. 29.

12) Pag. 47.

στολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἀνατολικῆς singularum animarum creationem expressis verbis profitetur, P. I, quaest. 28: *Μὰ ἂν ἤθελεν εἶναι καὶ αὐτὴ* (scil. *ἡ ψυχὴ*) *ἀπὸ τὸ ἴδιον σπέρμα, ὅπου εἶναι καὶ τὸ κορμὶ, μαζὶ ἐθέλασι συναποθνήσκειν. Καὶ δίδοται ἀπὸ τὸν Θεὸν ἡ ψυχὴ, ἀφ' οὗ ὀργανισθῇ τὸ κορμὶ καὶ γένῃ ἐπιτήδειον εἰς τὴν ὑποδοχήν της*[13]).

§. 20.

Quibus rebus propositis non jam tanti momenti est, quod creatianorum quoque sententia suis difficultatibus premitur. Nec enim difficultates alicujus doctrinae alias satis probatae justa causa sunt, cur ea doctrina rejicienda videatur. Itaque ne creatianismus quidem propterea, quod ex aliqua parte lubricus apparet, repudiari debet: nisi vero monstrari potest, eam sententiam certis quibusdam doctrinis ecclesiasticis manifesto repugnare. Quam repugnantiam ne sanctus quidem Augustinus, cujus auctoritate creatianismi adversarii maxime nituntur, unquam obtendit; namque doctissimus ille pater ecclesiae in eo solummodo perstitit, ceteris quidem creatianismi difficultatibus se non magnopere perturbari, quum facile dissolvi possent, sed id unum sese nondum videre, quomodo illa sententia doctrinae ecclesiasticae de peccato originali vel de infantibus baptizandis non adversaretur[14]).

Jam vero unde illae creatianismi reprehensiones maxime fluxerunt, si non ex male comprehensa descriptione ejus sententiae? Quare ejusmodi objectionum maxima pars jam

---

[13]) Kimmel, libri symbolici ecclesiae orientalis, p. 93—94. — Praeterea quam arcte creatianismus cum theologorum Catholicorum cogitationibus semper consociatus fuerit, imprimis ille catechismi ex decreto concilii Tridentini editi locus (P. I, cap. 4, qu. 4 ed. Rom. 1566) ostendit, qui sacrosanctum incarnationis Verbi divini in beatissimae Virginis utero mysterium persequitur, illa quidem sententia manifesto innitens.

[14]) Vide huj. commentation. p. 39 sq.

concidit, simulatque, ut fecimus, creatianismi notionem fusius explicavimus. Sed et ipsi veteres scriptores ecclesiastici haud inepte ad ea responderunt, quae vulgo creatianismo objiciebantur et etiamnum objiciuntur. Velut, ut pauca tantum, sed imprimis insignia, commemorem, quum adversarii monerent, secundum creatianorum opinionem patrem et matrem non esse revera parentes alicujus hominis, sed solius carnis humanae, qua re tota parentum et liberorum ratio infringeretur mutuaque caritas magnopere minueretur: iis ipsius Jesu Christi exemplum oppositum est, qui, quamvis esset Deus et homo et, ut Deus, Patris aeterni aeternus Filius, tamen secundum totam suam personam esset etiam verus filius beatissimae virginis Mariae, quae idcirco jure appellaretur *θεοτόκος*[15]. Porro quum videretur minus decere, sanctissimum Deum creatorem sua potentia praesto esse, quoties aliquod humanum corpus a parentibus modo naturali progigneretur, praesertim si id fieret per stuprum vel adulterium: respondit s. Hieronymus, contra Ruff. III, 8: „Quasi vitium sementis in tritico sit, quod furto dicitur esse sublatam, et non in eo, qui frumenta furatus est; iccircoque terra non debeat gremio suo semina confovere, quia sator immunda ea projecerit manu.“ Ad quae s. Augustinus, ep. 166 ad Hieron. c. 5: „Et quod ipse respondisti, non esse vitium sementis in tritico, quod furto dicitur esse sublatum, sed in eo, qui frumenta furatus est; nec idcirco terram non debuisse gremio suo semina confovere, quia sator immunda ea projecerit manu, elegantissima similitudo est. Quam et antequam legerem, nullas mihi objectio ista de adulterinis foetibus in hac quaestione faciebat angustias, generaliter

---

15) Cf. Cyrill. Alex. ep. 1 ad presbb. etc., jam allat. p. 28 sq.

intuenti multa bona Deum facere etiam de nostris malis nostrisque peccatis.“

§. 21.

Sed ad eum quoque creatianismi nodum expediendum, qui in peccato originis situs est, quemque ipse s. Augustinus non poterat explicare, jam theologi veteres nonnulla argumenta haud contemnenda contulerunt. Quorum hoc quidem loco satis erit ea transscribere, quae perhibet Guilelmus de Campellis, de origine animae fragm. in Marten. et Durand. thesaur. anecdot. T. V, p. 882 (apud Frohschammerum p. 44—45): „Hac ergo lege creatus est homo, ut hominibus per successionem creandis seminarium haberet, quantum ad corpus, Deus autem infunderet novas animas. Si ergo homo in obedientia perseveraret, sicut ipse sanctus et mundus esset, ita et seminarium prolis, quod ab eo procederet. Sed quia ipse primus per inobedientiam corruptus est, poenam suscepit, ut in concupiscentia generaret. Quae ergo particula ad vim generationis procedit, ipsa quoque corrupta est. Sed si homo, quod ad eum pertinebat, de generatione male dispensavit, debuitne Deus incommutabilis idcirco consilium suum mutare, ut novas animas non infunderet semini, qualecunque ex parentibus procederet? Non est, penes quem sit inconstantia. Facit igitur Deus, quod ab aeterno proposuerat, novas animas immundis corporibus infundit, non utens crudelitate, sed justam providentiam implens; nec anima habet, quod queratur de Deo. Idcirco enim eam fecit, ut animando corpori eam infunderet: quodsi corruptum vas invenit, ipsa quoque inde corrumpitur, idcirco necesse, ut purgetur [16]). Attamen

[16]) Cf. Petri Lomb. sensentt. lib. II, dist. 32, n. 7; ac s. Thomae Summa, P. I. II, qu. 83, art. I.

subtilius et rectius theologi recentiores et prae ceteris Antonius Günther, sagacissimus ille theologus idemque philosophus, vera creatianismi ratione totaque generis humani conditione accuratius perspecta ac definita innixi, de nostra quaestione disputaverunt [17]). Namque ex tota hac ratione sequitur, ut primus homo Adam vere fuerit totius generis humani primus parens et quasi repraesentator, non solum secundum carnem, sed etiam secundum animas. Quamdiu nimirum ille solus exstitit, solus totius futuri generis partes sustinuit, vel potius ipse solus revera totum genus humanum fuit. „Omnes fuimus in illo uno, quando omnes fuimus ille unus" (s. August. de civ. Dei XIII, 14). Itaque Adami status et actus et sors, quoniam ille pro toto genere fuit, eo ipso fuerunt status et actus et sors generis totius. Quodsi igitur Adam in paradiso constitutus illud praeceptum, a Deo optimo maximo ipsi propositum, observasset, revera id observasset totum genus humanum tunc in illo inclusum: quia vero deliquit ille, eo ipso deliquit etiam hoc. Quapropter quam culpam et poenam generis humani primus parens et caput incurrit, eadem cunctum genus hominum obstrictum tenetur. Atqui quod ad cunctum genus pertinet, idem pertinet etiam ad unumquodque ejus generis membrum, atque cuncti generis humani actus et sors sunt etiam actus et sors uniuscujusque hominis. Igitur culpa et noxa, quas Adam tanquam generis humani repraesentator sua defectione a lege divina contraxit, parimodo cadunt in homines universos et singulos, qui tem-

---

17) Vide imprimis Günther, Vorschule der specul. Theologie des posit. Christenthums. II. Abth. die Incarnationstheorie p. 144 sqq.; ejusdem Süd- und Nordlichter am Horizonte speculativer Theologie p. 222 sqq.; Pabst, der Mensch und seine Geschichte. 2. Aufl. p. 71 sqq.; Baltzer, de modo propagationis animarum. Bonnae 1833, p. 33 sqq.

poris decursu e communi stirpe originem ducunt. Quotquot ex Adami stirpe modo naturali nascuntur, tot ob id ipsum peccati Adamitici participes sunt culpaque originis et omnibus malis inde manantibus premuntur.

Haec videlicet necessario sequuntur quum ex ea idea atque voluntate, qua Creator genus humanum ab aeterno comprehendit, tum ex eo peccato, quod Adam ut generis totius parens et caput commisit. Illa enim summi Numinis idea in se simplici aeternaque et immutabili praefinitum est, ut per continuum temporum cursum genus humanum quasi unum corpus innumerabilibus compositum membris ex Adami stirpe propagetur idque ea fiat ratione, ut, quoties novum humanum corpus modo naturali per parentes gignatur, toties nova quoque anima ex nihilo procedat cumque illo physice jungatur, ita nimirum comparata, quam et totius generis conditio et ipsius singuli corporis indoles postulet. Atqui postquam Adam lapsus est, conditio generis humani, quoniam id totum lapsum est in illo, certo jam postulat, ut unicuique novo corpori e communi stirpe procreato addatur anima communi culpae obnoxia labique subjacens communi; nam homo, cujus anima conditionis sortisque generalis foret immunis, vera Adami peccatoris progenies, vel generis humani, culpa involuti, ut ita dicam, nativum membrum haudquaquam foret, sed extra ejus voluntatis, qua Deus primum universa creavit, legem et necessitatem miraculo quodam novoque Numinis potentissimi ac sapientissimi consilio exsisteret tanquam homo supernaturalis et quodammodo tanquam alter Adam. Itaque in Dei quidem creatoris aeterno illo immutabilique consilio id solummodo est, ut decursu temporis ex Adami stirpe magna hominum multitudo originem ducat, vel, ut cum unoquoque

humano corpore novo, a parentibus naturaliter generato, nova anima humana, modo ex nihilo producta, in unam personam consocietur: quod vero unaquaeque anima humana vel unusquisque homo nascitur peccator dignus poena capitali, ejus rei causa nulla ratione in sanctissimi Numinis aeternum consilium atque universa creandi voluntatem cadit, sed tota sita est in illo facinore, quo patrato generis humani primus parens et repraesentator cunctos posteros suos perdidit.

Postremo si quis id potissimum miretur, quod Deus sanctissimus Adamum peccatorem non ea mortis poena statim affecit, quam comminatus erat, et hominum et culpae nefandae simul praecidens propagationem, vel quod Deus omnino Adamum creavit, quem a lege sua defecturum profecto ab aeterno praescivit: ejusmodi dubitationi jam ea occurrant, quae leguntur apud s. Augustinum, op. imperf. contra Julian. V, 13: „Quod vero Deus de origine merito et juste damnata parvulos creat, bonum est ipse quod creat; quia homines creat, et homines etiam mali bonum aliquid sunt, in quantum homines sunt: nec cohibet ab eis bonitatem creandi, quos praescivit esse damnandos, immo scit originaliter jam esse damnatos.“ Sed qua potissimum ratione homines etiam mali ideoque damnandi bonum aliquid sunt? Quia sane ex malis boni, ex damnandis coelo beandi queunt fieri, postquam Jesus Christus, verus Deus et verus homo ex Maria virgine mirabiliter natus, quem tanquam Adamum alterum alterumque generis humani principium Deus pariter ab aeterno praevidit ac praedestinavit, primi hominis praevaricationi et culpae suam perfectissimam erga voluntatem aeterni Patris obedientiam et suum abundantissimum meritum opposuit. Quod idem indicat s. Thomas, si scribit haec:

„Melius est autem animae sic esse secundum naturam, quam nullo modo esse, praesertim cum possit per gratiam damnationem evadere“ Summae P. I. II, qu. 83, art. 1. Ea nimirum gratia divina, quam Christus Dominus universo generi humano comparavit, singuli quique homines adjuti, si fideliter voluerint laborare, jam non solum originis culpam et poenam facile poterunt dissolvere, sed etiam, post hanc vitam pie et sancte peractam, ad ea pervenire coelestia gaudia, de quibus scriptura sacra praedicat: „Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum“ (1 Cor. 2, 9).